

4831

104

104

4831. III. L. 6.

FRANCISCI SAMUELIS KARPE
CAES. REG. PHILOSOPHIAE IN UNIVERSITATE VIENNENSI
PROFESSORIS

INSTITUTIONES
PHILOSOPHIÆ DOGMATICÆ
PERPETUA
KANTIANÆ DISCIPLINÆ
RATIONE HABITA.

TOMUS PRIMUS
PROLEGOMENA
AD
PHILOSOPHIAM UNIVERSAM
ET
PSYCHOLOGIAM EMPIRICAM
COMPLECTENS.



VIENNÆ
SUMTIBUS CHRIST. FRID. WAPPLER ET BECK.

1804.

INSTITUTIONS
HILGOTHE DOGMATIC

REVISTA

KANTIANE DISCIPLINE

RATIONE HABITA

TOMUS PRIMUS

PROLEGOMENA

AD

UNIVERSITATIS

PRAGENSIS

LIBRARIIS

VIENNA

030051565

REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO
DOMINO DOMINO
SIGISMUNDO ANTONIO
COMITI AB HOHENWART

S. R. I. PRINCIPI

ET

ARCHIEPISCOPO VIENNENSI
PHILOSOPHIÆ

QUAE

LIBERALITER INDAGARE ET AD SOBRIE-
TATEM SAPERE DOCET

PATRONO SAPIENTI

HANC

SUARUM INSTITUTIONUM PHILOSOPHIÆ DOGMA-
TICÆ PARTICULAM

D.

D.

D.

DEVOTISSIMUS AUTHOR.

Munus exiguum, si ex tua Dignitate spectetur, si ex ob-
jecto et animo Offerentis, magnum.

PROLEGOMENA

AD

PHILOSOPHIAM UNIVERSAM,

SEU TRACTATUS

DE STUDIIS

PHILOSOPHIAE ACADEMICAE

REGUNDIS.

A

DE OLIE BOMBYNA

AD

PHILOSOPHIAE UNIVERSITATEM

PERTRACTAVIT

DE S. T. U. D. I. S.

PHILOSOPHIAE ACADEMIAE

RECONDITIS

— ❁ — ❁ — ❁ — ❁ — ❁ — ❁ — ❁ — ❁ — ❁ — ❁ —

INTRODUCTIO

IN

PHILOSOPHIAM UNIVERSAM.

§. 1.

Celeberrimum philosophiæ nomen, quod *sensu etymologico* studium sapientiæ innuit, *recepto apud eruditos significatu* jam ad eruditionis universæ partem, et scientiam peculiarem ac maxime fundamentalem designandam adhibetur.

At quænam sit hæc ipsa scientia, in qua materia et quo modo cognoscenda, versetur, quo partium numero et ordine ejus propria ditio et studium contineantur, quæ bona ejus cultui in acceptis referenda sint, res non nostra solum, verum omni retro ætate incerta et plane controversa, uti sapientia res apud veteres satis ambigua fuit.

Quare non aliunde rectius duci potest institutionis ad liberaliter philosophandum initium, quam a philosophia generali, i. e. a prævia et perspicua primum indolis, deinde distributionis et ordinis, denique præstantiæ et historiæ philosophiæ universæ spectatæ expositione.

S E C T I O P R I M A

Philosophiæ notionem constituit, quæ intimam et veram ejus indolem exhibeat, et studium dirigat.

§. 2. Philosophia, quæ sit *ex integro* vera et salutaris, non nisi unica esse potest.

At philosophiæ, quæ existant systemata, et qui feruntur auctores, non verbis solum sed rebus etiam ipsis valde inter se discrepant, et plane invicem pugnant.

Quare imprimis, quæ sit *veræ philosophiæ* indoles constitui debet, ne omnis, quæ ejus studio impendatur opera *inanis et ingloria*, aut plane *servilis et noxia* sit.

I.

An tyro philosophus intelligere et satis possit, et omnino debeat, quæ sit vera philosophiæ indoles, quæritur?

§. 3. Quamquam dubium videri possit, an philosophiæ tyro in studii sui exordio intelligere satis possit, et omnino debeat, quid sit *philosophia*, siquidem intelligentia hæc potius philosophici studii fructus, quam initium esse videatur; rem tamen propius consideranti illico occurrit, philosophiæ tyronem, qui satis instructus et exercitatus a gymnasio ad illius studium se conferat, quæ sit vera philosophiæ indoles et cognoscere satis posse, et omnino debere, ut *a quo fonte* peti, *quo fundamento* niti, *quo ambitu* contineri, *quas res* pertractare, *quas tractationis* leges sequi, *ad quam persuasionem* in decretis suis aspirare, *quem supremum scopum* consecrari,

tari, quos usus præstare debeat philosophia, univèrse satis intelligat; adeoque notionem *studii sui directricem*, et quasi *exemplar ac punctum fixum* habeat, in quod proprium aliquod *philosophiæ systema* sibi formaturus, atque *avia et pericula* in philosophando evitaturus inruatur.

§. 4. Quare in studii philosophici exordio imprimis, quid philosophia *vere*, et non solum antiqui vel recentioris alicujus licet celeberrimi philosophi *opinione* sit quærendum est, ne tyro philosophiæ *secus temere* aliquam illius notionem arripiat, cujus *potestatem* vel plane non intelligat, vel ingenium suum systemati philosophico, cujus *præformatio* in illa notione contineatur, velut cervicem jugo addicat. Cum vero *quæstio*, quid philosophia vere sit hoc sibi propositum habet, ut constituatur definitio, quæ genuinas et perspicuas notas exhibeat *illius generis cognitionum*, quarum systemate vera philosophia absolvatur; intelligitur tyronem ipsum suo ut ajunt *martè* ad illos, qui veram philosophiam insigniant characteres detegendos et intelligendos *a certis initiis magistro quasi obstetricante* eluctari debere.

II.

A quibus initiis illa philosophiæ notio duci debeat ostenditur.

§. 5. Philosophiam, siqua sit, esse quoddam mentis humanæ munus atque opus, nativis quibusdam ejus dotibus conficiendum, dubium censi nequit. Quare philosophiæ tyro mentis humanæ *munera et opera*, et *nativas*, quæ his subjectæ sunt, illius *dotès* univèrse cognoscere, atque ab hac cognitione et facili et cuique *conscientiæ*

ria sua vi certissima justam philosophiæ notionem ducere debet.

§. 6. Mentis humanæ, cui veri seu rerum cognitio i. e. eorum quæ sunt aut esse possunt, per notas et conexiones necessarias cogitatio proposita est, duæ sunt primariae functiones, effectiones et dotes, quarum alteri res in facto positas spectanti, experientiæ et historiæ, alteri vero rerum causas, scopos et leges inquirenti ac reddenti, scientiæ et artes originem et incrementa sua debent.

I.)

Primum mentis humanæ primarium munus et opus exponitur.

§. 7. Primum primarium mentis humanæ munus rerum in facto positarum notatione continetur, quæ experientias et historias peperit. Hoc enim inprimis munere defungitur mens humana, ut quæ sint vel fiant singula h. e. res in naturæ vel arbitrii facto positas, notet seu observet i. e. ad eas prout sensui aut externo aut interno obversantur, sponte et consulto attendat, atque ita variarum in facto positarum rerum, earumque constantis coexistentiæ et successionis, adeoque ordinis et cursus naturæ cognitiones seu experientias conficiat.

§. 8. Cognitiones rerum in facto positarum, atque sensibus usurpararum habita temporis ratione omnibus aliis, quibus mens potitur cognitionibus, priores sunt, atque a fonte suo nimirum sensu, observatione et experientia empiricæ, ab objectis vero suis scilicet factis historice dicuntur. Ejusmodi cognitiones semper quidem certitudinem, et subinde etiam universalitatem at comparativam solum, nunquam necessitatem et universalitatem simpli-

placem adjunctam habent, cum experientia quidem *aliquid actu esse, et adhuc semper fuisse, non vero id necessario esse, et semper fore* contestetur.

§. 9. Cognitiones empiricas etiam *cognitiones a posteriori* appellari constat. Sed *nomen posterius* non tantum eorum, quæ sub sensus cadunt, cognitiones omni iudicii necessitate destitutas, verum etiam cognitiones rerum a sensibus plane remotarum, *quas res in facto positæ velut sua correlata arguunt*, denotare, et nominis illius *etymologia* innuit, et *usus loquendi probabilis* satis confirmat. Quare *Kantianos* nomina cognitionis empiricæ, et a posteriori *promiscue* adhibere approbari nequit.

§. 10. Observationum variarum continuatione, et repetitione *nativa*, quæ menti inest *observandi facultas* acuitur et augetur, qua exercitatione non solum *observandi spiritus seu sollertia* comparatur, verum etiam factorum collectiones h. e. *historiæ* conficiuntur *cum illa, quæ naturæ facta describunt*, quo pertinent historia naturæ, globi terraquei, cæli stelliferi, humanitatis et culturæ, *tum etiam ista, quæ res ab hominibus gestas enarrant*, quo historia universalis, civitatum, religionis et litteraria referuntur.

Quare *observandi actus et sollertia* primum primarium *mentis humanæ* cognoscendi munus, *experientiæ vero ac historiæ* præcipuum illius cognoscendi muneris opus absolvunt.

II.)

Alterum primarium *mentis humanæ* munus et opus evolvitur.

§. 11. Causarum et legum, quibus vel *naturæ efficiencia* subest, vel *liberi arbitrii decreta et actiones* re-
guntur.

guntur, investigatione et explicatione, *alterum primarium* mentis humanæ *munus* absolvitur, cui *scientiæ* et *artes* originem suam debent.

§. 12. Non diu mentem humanam *singulorum*, quæ sensus impellunt *animadversione* se continere, verum brevi similitudinis, et coexistentiæ ac successioni i. e. *specierum* et *generum* rerum, ac *ordinis* et *cursus naturæ*, præterea *causarum* et *legum* eorum, quæ naturam ferre et facere, atque voluntatem liberam intendere et gerere videt, notiones sibi formare *ex historia parvulorum* satis constat.

§. 13. Atque nunc jam mentis humanæ rationem cum theoreticam seu contemplativam, tum practicam si ve præceptivam se exserere dubio caret. *Prior* ad hoc tendit, ut naturæ rerum species et genera constituat, atque causas et leges exploret, indeque phænomena *intelligat* et *explicet*. *Posterior* ad hoc comparata est, ut libere facienda *imperet* et *regat*, et libere facta *approbet* vel *damnet*, atque in meritum vel reatum, in præmium vel pœnam *imputet*.

§. 14. In utroque hoc naturæ explorandæ et interpretandæ, atque voluntatis liberæ ex morum legibus et prudentiæ consiliis regendæ negotio mens humana hoc maxime spectat, ut rationes universales seu principia exquirat, cur in mundo alia per naturam fieri *necesse sit*, alia per voluntantem liberam intendi et geri *oporteat*. Inde nascitur cognitio connexionis rerum cum suis principiis et consecutariis.

§. 15. Hæc cognitio ab objectis suis nimirum rerum connexionibus *philosophica*, a fonte vero suo nimirum a ratione *rationalis* dicitur, atque semper iudicii necessitatem adjunctam habet, ut adeoque universa humana cognitio,

tio, inspectato objecto et fonte, fit vel *empirica et a posteriori* i. e. factorum et ex factis, vel *rationalis et a priori* i. e. essentiarum et rationum seu principiorum universalium, et ex essentiis et principiis universalibus, et hæc porro vel *theoretica* vel *practica*.

§. 16. Mens humana cum eo dirigit operam suam, ut rerum quarumcumque connexiones adeoque rationes, rationum principia et consectaria exquirat, *meditari* et *philosophari* dicitur. Cujus operationis iteratione non solum naturalem suam rationes et consectaria explorandi facultatem et sagacitatem acuit et alit, verum etiam cognitionum homogenearum a principiis suis ductarum systemata i. e. *scientias* condit. Ex quo alterum mentis humanæ primarium munus et opus in philosophando, et scientiis ac artibus condendis consistere, illudque partim *ætiognosticum*, partim *nomotheticum*, has vero partim *empiricas*, partim *rationales*, et has porro vel *theoreticas* vel *practicas* esse consequitur.

III.

Ipsa, quæ illis consiliis serviat philosophiæ definitio stabilitur et vindicatur.

I.)

Philosophiæ in genere humano origo, ejusque notionis in mente humana genesis ostenditur.

§. 17. Observandi et philosophandi habilitate et sollertia excellentes homines imprimis quæ, et in quibus quæque adjunctis sint et eveniant accuratis observationibus notant, hocque modo tum characteres et genera rerum intellectu constituunt, tum causas leges et fines,

cur natura aliquid faciat et ferat, atque voluntas intendere et efficere obligetur, ratione indagant et stabiliunt, hanc omnem vero cognitionum naturæ physicæ et moralis leges et ordinem spectantium, copiam tandem ad primas intellectus rationes, et suprema rationis principia revocant, in varias doctrinas velut partes distribuunt, hasque atque ipsarum capita apta connexaque ratione disponunt i. e. philosophiam condunt. Quare philosophia in naturæ physicæ et moralis perferuatione et interpretatione posita, atque ab illa observandi et philosophandi mentis humanæ sollertia profecta est.

II.)

Constituta philosophiæ definitio magis explicatur.

§. 18. Qui antiquissimis temporibus sapientes, et serius sapientiæ studiosi seu philosophi appellabantur et erant, observandi et philosophandi sollertia maxime valuerunt, atque ad hoc præcipue adjecerunt animum, et operam, ut morum leges et prudentiæ regulas eruerent et exercitarent. Quæ res cum maxime a naturæ notatione et perferuatione duceretur, eo serius delati sunt philosophi, ut rerum divinarum et humanarum, et causarum, quibus hæ res contineantur i. e. ut solidam virium legum, et finium rerum in mundo cognitionem acquirerent, atque ita scientiam necessariorum in mundo, cur et quomodo quæque in eo necessaria sint, stabilirent. Hanc solam scientiam in varias partes et subpartes tributam *philosophiæ* nomine intelligimus, et profiteamur, nec ab ullo philosopho velut auctore *cognominandam* esse censemus.

III.)

III.)

Ejus præstantia porro confirmatur.

§. 19. Quod si illis fontibus, atque illa materia, via et meta, quæ nostra ista philosophiæ definitione designantur continuissent se studia philosophorum, atque continerent, careremus illis monstris, quæ fingendi, demonstrandi et cavillandi quorundam licentia peperit et aluit. Philosophi ab inanum auctoritatum, hypothesium, et systematum vinculis liberi, atque observandi et explorandi illo spiritu legitime usi nunquam philosophiæ loco habuissent seu umbratilem, barbariæ sordibus obsitam veteris vel novi cujusdam eleatici *microdoxiam* et *logodædaliam*, seu moralitati et paci generis humani pestiferam alicujus veteris vel recentioris cyrenaici *heterodoxiam* et *pseudosophiam*; sed condidissent philosophiam, quæ esset virium, legum et finium eorum, quæ in mundo sunt *indagatrix* et *interpretis*, atque virtutis et felicitatis tamquam summi hominum boni *magistra*.

S E C T I O S E C U N D A

Philosophiæ universæ partiendæ et discendæ rationem et ordinem monstrat.

§. 20. Exposita veræ philosophiæ indole jam de ejus, prout nostra ætate exculta est, ambitu, et in partes distributione, atque de eo, qui in harum partium tractatione et studio tenendus sit, ordine et modo dicamus i. e. ut quo partium numero, et ordine philosophiæ ædificium et studium contineantur exquiramus, adeoque encyclopædiæ et methodologiæ philosophicæ rudimenta quædam du-

ducamus, qua re nihil utilius esse potest, cum ad veritatem illius præviæ de philosophia notionis certius cognoscendam, tum ad studium ejus provide instituendum, prosequendum, æstimandum et perficiendum.

§. 21. *Encyclopædia philosophica* hoc sibi propositum habet, ut non temere sed ex conceptu *veræ* philosophiæ *indolis* velut principio propriam ejus ditionem designet, hancque in suas primarias et secundarias partes, et has porro in præcipua sua capita distribuat et describat, atque hujus distributionis et descriptionis modum et causam ante oculos sistat. *Methodologia philosophica* vero hoc munus sibi injunctum habet, ut doceat, quo ordine, et in qua cum aliis quibusdam disciplinis conjunctione singulæ philosophiæ partes pertractari debeant, ut institutio ad philosophiam non sit cognitionum velut fragmentorum quædam farrago, sed earum in se absolutarum series et continuatio, finibus suis atque ingenii et animi culturæ plane accommodata.

Sed prolegomenorum consiliis et limitibus non nisi levissima utriusque rudimenta congruere possunt.

I.

Rudimenta encyclopædiæ philosophicæ.

§. 22. Philosophiæ primaria distributio non rectius, quam ab ejus munere et fine primario ducitur, qui est duplex.

Philosophia enim, uti ratio humana philosophiæ effectrix, vel indagatrix et interpretis *naturæ*, libertati, morum fonti, *oppositæ* munere defungitur, ut quæ in mundo independentem a voluntate humana virium, et legum physicarum vi necessaria sint doceat, vel legisla-

triciis et directricis libertatis humanæ auctoritatem sustinet, ut quæ in mundo libera voluntate præditis per morum leges et prudentiæ regulas necessaria sint, tradat.

Philosophia a priore illo suo munere *theoretica*, *contemplativa*, *speculariva*, a posteriore vero *practica*, *activa*, *præceptiva philosophia* nomen habet.

I.)

Ambitus et distributio philosophiæ theoreticæ.

§. 23. Philosophia theoretica hoc sibi propositum habet, ut eorum quæ sunt et fiunt, causas et leges investiget, ex his illorum necessitatem explicet, adeoque omnem theoreticam cognitionem ad principia sua revocet. Quare cum omnis theoreticæ cognitionis, qua mens humana potitur, principia psychologię empiricæ, æstheticæ, somatologiæ universalis seu physicæ, præterea logicæ et metaphysicæ ditionibus contineantur; intelligitur has nativas et solas esse philosophiæ theoreticæ partes. Cumque logica et metaphysica suprema et extrema omnis cognitionis theoreticæ principia ac objecta contineant, quæ in concreto cognita esse debent, priusquam in abstracto cogitari possint, consequitur puris his duabus philosophiæ theoreticæ partibus illas tres empiricas certo ordine præmitti debere.

§. 24. Nimirum philosophus theoreticus eorum, quæ in mundo sunt et fiunt, fierive possunt, causas naturales exploraturus et redditurus imprimis istorum, quæ natura animæ humanæ fert et facit, characteres et leges observando et investigando detegere studeat, ut hæc

via cognitionem ejus indolis primum generatim, tamquam subjeeti conscientia cum corpore organico conjuncti, deinde vero speciatim, tamquam mentis i. e. tamquam subjeeti facultatis cognoscendi, et tanquam animi i. e. tamquam subjeeti facultatis persentiscendi et appetendi consequatur i. e. *psychologiam empiricam* seu *anthropologiam* primum utilissimæ cognitionis sui ipsius et hominis fontem conficiat.

§. 25. Deinde illas, quas animus humanus cum est pulchrorum, et sublimium perceptionibus imbutus persentiscit voluptates, et oblectationes, atque rerum corporearum mutationes, et affectiones communissimas recte observatas et definitas ad suas leges et causas revocare, adeoque naturam pulchri et gustus æsthetici, atque indolem et efficientiam ejus quod in mundo est corporeum, universalem i. e. *æstheticam*, et *somnologiam* generalem pertractare debet, quarum prior potentiam hominum in animum, posterior in naturam plurimum auget, quibus rebus nihil esse potest ad salutem humanam præstabilius.

§. 26. Nunc tandem licet et expedit tum ipsum cogitandi et intelligendi munus plurimum jam pristinis illis studiis expeditum et expolitum sub peculiare examen advocare, atque ita scientiam de natura et regimine intellectus seu *logicam* condere tum si quid est in rebus existentibus absoluti (quod absolutum sensu theoretico appellare licet, ut distinguatur ab eo, quod absolutum sensu pratico dicitur) explorare, atque ita scientiam indolis cum substantiarum absolutarum (*ontologiam*) tum absoluti totius seu universi, et absolutæ omnium, quæ contingenter existunt, causæ, seu auctoris universi (*cosmotheologiam*) i. e. *metaphysicam* moliri, atque ita

omnem rationis et cognitionis theoreticæ vim, et campum dimetiri, et absolvere.

II.)

Ambitus et distributio philosophiæ practicæ.

§. 27. Philosophiæ practicæ, quam etiam morum seu moralem philosophiam appellant hoc munus et consiliū est; ut patefaciat, quid in mundo per liberam entium ratione præditorum voluntatem intendere et agere oporteat, aut certe liceat. Quare ea leges morum, officia et jura humana determinantes, adeoque cognitionem nostram de moralitate ad principia et genera sua revocat, atque voluntatem liberam i. e. mores, consilia et actus ad honestatem, justitiam, prudentiam et felicitatem conformare docet. Ex quo consequitur philosophiæ moralis ambitu philosophiam practicam primam, ethicam philosophicam, jurisprudentiam universalem, politicam et pedagogicam tanquam ejus proprias partes contineri.

§. 28. Nimirum philosophiæ practicæ interpret et cultor imprimis voluntatis humanæ regimen universum seu in genere explorare, adeoque non modo eam, quæ in ratione humana sita est, legislationem ad voluntatem humanam pertinentem explicare, verum etiam illius, quæ voluntatis meta, et ad illam nativam rationis nomothesi compositæ fructus, aut certe meritum esse censetur, felicitatis naturam, causas et condiciones exquirere, adeoque *metaphysicam moralitatis et felicitatis*, quas *absoluta sensu practico* dicere licet, condere debet. Hæc philosophiæ moralis pars ceterarum basis communis et necessaria, ne sibi invicem adversentur, *philosophia practica pri-*

prima seu *universalis* dicitur, atque eleutheronomiam, et eudæmonologiam complectitur, cum regimen voluntatis liberæ universum ejus non tantum viam, sed etiam scopum monstrare debeat.

§. 29. Dein *duplicem* rationis *legislationem* nimirum *ethicam* seu internam, et *juridicam* seu externam speciatim explicare. adeoque *ethicam* seu doctrinam virtutis, et *jurisprudentiam* seu doctrinam juris pertractare debet. *Prior* mores, vitamque omnem honestatis, seu virtutis moralis præceptis conformare docet, adeoque virtutis moralis, cum objective tum subjective spectatæ, principia et conditiones explicat. *Posterior* verò, quæ homines agere teneantur, ut securitate et tranquillitate externa, illa omnis culturæ et prosperitatis humanæ conditione, fruantur præcipit, adeoque jura et officia externa seu *jus universale*, cum *privatum* tum *publicum*, tradit.

§. 30. Denique politicam et pædagogicam subjungit, atque ita omnem regiminis inter homines moralis potentiam et campum absolvit. *Prior* reipublicæ seu civitatis cujusvis ex juris et prudentiæ regulis constituendæ et administrandæ, *posterior* juventutis omnis ad fines suos educandæ præcepta tradit. Cum civitatis administratio, et juventutis educatio bona ad gravissima negotia pertineant, intelligitur, eos, qui his negotiis operam daturi sunt, systematica principiorum civitatis administrandæ, et juventutis educandæ cognitione imbuendos esse, ne ignorantia civium salutem magis perdant quam tueantur, atque ingenia et animos juveniles magis corrumpant, quam emendent et perficiant.

II.

Rudimenta methodologiæ philosophicæ.

§. 31. Quæ philosophicæ aliæque scientiæ studii philosophici academici partes, deinde qui earum ordo esse debeat, ut altera alteri debitam opem ferat, omnium conjunctio vero ad eam studii philosophici conformationem et absolutionem conspiret, qua id ad consequendos suos fines omnino idoneum sit, nemo ignorare potest, qui studii philosophici ambitum et viam, aut *lege* aut *consilio* designet, aut *in studio suo* utiliter observet. Horum constitutionem *methodologia philosophica*, seu *studii philosophici academici ratio* sibi propositam habet.

I.)

Studii philosophici academici debita absolutio.

§. 32. Quæ cura potestatis civilis definienda est juventutis erudita institutio, ea duplici instituto absolvitur, nimirum gymnasiis, quæ vocant, et academiis. Studium philosophiæ academicum est doctrina fundamentalis, media inter doctrinam elementarem gymnasiolorum, et superiores illas doctrinas academiarum, quæ ad varia in civitate obanda ministeria et munia propius præparant.

§. 33. Quare ad studii philosophici academici *cyclopædiam*, ut sit omnis solidæ et utilis academicæ institutionis basis, et portio viæ communis, antequam reliquæ academicæ disciplinæ nimirum theologicæ, juridico politicæ, medicæ, pædagogicæ, æconomicæ se separent atque disjungant, non tantum universa philosophia theoretica, et ex philosophia practica philosophia practica uni-

versalis, ethica philosophica et jurisprudentia universalis, verum etiam mathesis pura et applicata, historia naturalis et universalis, atque doctrina et historia veteris theoreticæ et practicæ philosophiæ tanquam partes pertinent.

§. 34. Cum juris universalis tum privati tum publici cognitio non tantum jurisconsulto et politico, verum etiam religionis et scholarum magistro, præterea medico, œconomico et cuius erudito homini varia ratione necessaria sit, maxime, ne in rebus juris naturalis judiciis suis in transversum agatur, etiam *jus philosophicum* ad portionem *viæ academicæ communis*, i. e. ad studium philosophicum pertinere consequitur.

II.)

Partium studii philosophici academici ordo.

§. 35. Ambitu studii philosophici academici ad finis sui rationem circumscripto, jam qui scientiarum illarum ordo, et quæ illius communis in academiis viæ curricula esse debeant, annua et semestria videndum est. Qua in re *duo præcepta* observanda; *primum hoc postulat*, ut ea sit *scientiarum studii philosophici subordinatio* et *coordinatio*, ut *subordinatarum* altera sit ad alteram gradus et præparatio, *coordinatarum* vero altera alterius decretis illustrandis et applicandis inserviat; *alterum vero præceptum hoc exigit*, ut doctrinæ studii philosophici in tot curricula seu cursus distribuantur, ut id *omnibus suis finibus* accommodatum sit, tirones vero omnia satis intelligant et retineant, atque ut ajunt in succum et sanguinem convertant.

§. 36. Ex præceptis illis consequitur, institutionem ad philosophiam theoreticam præmittendam esse institutioni ad philosophiam practicam, atque in illa partes empiricas nimirum psychologiam, somatologiam et æstheticam ante partes ejus puras, nimirum ante logicam et metaphysicam tradendas; omnibus vero istis philosophiæ partibus scientias mathematicas, historicas et philologicas *debita ratione*, tamquam comites et administras, adjungendas, totum vero academicum philosophiæ studium in tria annua et sex semestria curricula describendum esse.

§. 37. Quod si studium philosophicum his partibus, atque hoc earum ordine, his curriculis constet, omnes *in ejus cultoribus* ingenii animique vires, naturali ordine et gradu evolvi atque excoli, illosque omnibus iis cognitionibus et mentis habitibus imbuere necesse est, qui ad sublimiores academice disciplinas, et ad varia vitæ genera ac munia requiruntur.

SECTIO TERTIA

Philosophiæ insignem usum evincit, ejusque primaria fata refert.

§. 38. Liberalem philosophiæ operam navaturus prævie etiam ejus tum pretium, hujusque pretii conditiones recte æstimare, tum originis præcipuarumque conversionum summariam cognitionem habere debet.

I.

Ufus philosophiæ, ejusque vindiciæ et conditiones.

§. 39. Ex philosophiæ universæ, ejusque partium et subpartium indole facile intelligitur, et maxima comoda ex ea si recte pertractetur in omnem vitam, atque in reliquas scientias promanare, et ad eam, ne sine gloria et fructu pertractetur, varia adminicula requiri.

I.)

Philosophiæ pretium, cum absolutum, tum relativum ostenditur.

§. 40. Pretium rei cujuscunque in ejus habilitate ad certos fines obtinendos consistit. Quare philosophiæ pretium aliud absolutum, aliud relativum est.

Absolutum philosophiæ ejusque studii pretium in eo cernitur, *primo* quod hominem adducit, ut se ipsum noscat et intelligat, adeoque illam molestiarum plenam desideriorum et actionum suarum cum propria aliarumque rerum natura pugnam evitet; *deinde* quod ea, quæ explorata esse generis humani maxime interest, aperit, nimirum *quid* per rationis humanæ vim *sciri possit? quo modo* per rationis legislationem *vivere oporteat? et quam sortem* per rationis augurium post hanc vitam *præstolari liceat?* — *denique* quod philosophiæ lumina fœcundissimis illis humanæ miseriæ fontibus obstruunt, nimirum superstitioni, incredulitati, egoismo, atque licentiæ, cum illi quæ dominatum sibi injuste arrogat, tum isti, quæ justo imperio refragatur.

Relativum vero philosophiæ pretium in eo positum est, quod ab ea omnium aliarum scientiarum non modo possibilitas et veritas, sed etiam perfectibilitas et utilitas dependet, atque adeo ejus studium reliquis scientiis con-
dendis, tractandis, emendandis et perficiendis inservit. Cum enim philosophia *omnis veræ et scientificæ cognitionis principia et requisita suprema* tradat; ceteræ scientiæ omnes vim et veritatem decretorum suorum, ne precaria sint, a philosophiæ luminibus et principiis repetere debent. Historia literaria maxime recentior satis confirmat, philosophiæ fata et conversiones etiam *in aliis scientiis* valuisse, *has* perspicuitatis, soliditatis et ordinis laudes maxime a philosophiæ luce, opibus et cultoribus duxisse, sine his vero res indigestas, atque veritarum, commentorum et errorum farragines exstitisse.

II.)

Philosophiæ accusatio, defensio et adminicula.

§. 41. Philosophiam et philosophos etiam acerrime reprehendi, atque tamquam gravissimorum errorum et malorum causas accusari constat. Sed facile intelligitur non in veram philosophiam ejusque veros effectus ac cultores, sed in falsa systemata horumque auctores et propagatores accusationem illam cadere. Constat nimirum, omni retro ætate exstitisse homines, qui gloriosissimum philosophiæ nomen pessimis rebus prætenderent, nimirum aut *microdoxiis* aut *heterodoxiis suis*, atque honestissimum philosophorum nomen assumentes *ratione* pessime abuterentur, *hujus viribus* nimium vel dogmatico supercilio arrogantes, vel sceptica inconstantia diffidentes, quod aut *debito* ad liberaliter philosophandum *ingenio* et *pectore* desti-

destituerentur, aut præjudiciis et pravis animi motibus ac passionibus abriperentur.

§. 42. Ne sterilis sit, quæ philosophiæ navetur opera, ad ejus studium certas animi dotes afferre, atque huic alias quasdam disciplinas velut adjutrices et comites adjungere necesse est. Et philosophiæ quidem alumnos imprimis *philosophico ingenio et pectore* præditos esse oportet; *quorum primum* insigni quadam, facta et eventus observandi, et rerum causas, nexus et exitus investigandi, atque cognitiones suas, repudiata auctoritatis et systematis servitute, ad regulas et principia revocandi habilitate et sollertia continetur; *alterum vero* in hoc maxime cernitur, ut nullum sit voluntatis studium recti amore ac reverentia, et pravi detestatione ac fuga efficacius. Deinde vero *marbeseos*, *historiæ* tum hujus, quæ *facta naturæ* describit, tum istius, quæ *res ab hominibus gestas* enarrat, et *ipsius philosophiæ progressionem et conversionem* persequitur, et *omnis illius*, quæ ad humanitatem pertinet, *disciplinæ studia* adjungat; quorum *primum* ingenium mathematicæ illius methodi severitate conformat, *alterum* res veras et bonas, quas natura a sensuum judicio disjunct, illustribus exemplis indicat et commendat, et velut oculis subjicit, *tertium* denique veri et recti judicii pulchri vim adjungit, ut animum commoveant et teneant.

II.

Rudimenta historiæ philosophicæ.

§. 43. Historia philosophiæ hujus origines et progressionem, auctores et excultores refert. Sed prolegomeno-

norum, et tyronum philosophiæ rationi non nisi levissima quædam ejus rudimenta conveniunt.

I.)

Historia philosophiæ antiquissimi ævi.

§. 44. Cum philosophia sit cognitio causarum et legum, cur vel per naturam rerum, vel per libertatem hominum aliquid fieri necesse sit, observatione et meditatione acquisita, intelligitur, falso a nonnullis omnia philosophandi initia ad græcos restringi.

Certum tamen est, perfectioris, et in partes aliquas jam descriptæ philosophiæ *natales* in Græcia tantum reperiri, et conditores philosophiæ, quorum scripta, vel certe decreta, haud dubia fide, ad nos pervenerint, *Græcos fuisse*.

I.)

De philosophicarum cognitionum indole apud gentes græcis antiquiores.

§. 45. Græci omnes gentes *barbaras* appellabant, quæ non incolebant Græciam proprie dictam, a cujus incolis adeoque cum lingua, tum moribus et religione valde diferebant. Ad gentes itaque hoc sensu barbaras referuntur Chaldæi, Phœnices, Aegyptii, Aethiopes, Scytæ, Persæ, Indi, Arabes, Celtæ, &c. Apud has gentes *quædam licet levissima* studia artium, astronomiæ, geometriæ, theologiæ, ethices et politices viguisse, ne ipsi quidem Græci, omnium scientiarum et artium inventionem ad se referentes, infitari possunt. Harum gentium eruditos philosophemata sua mythologica et hieroglyphica ratione concepisse et

consignasse ratio sufficiens videri nequit, eos plane philosophos non esse.

2.)

De philosophiæ apud græcos initiis, progressionibus et conversionibus.

§. 46. In Græcia fuisse primos alicujus nominis philosophos, quorum *philosophemata* indubia fide ad nos pervenerunt, inter historicos satis constat. Græci primi erant, qui phænomenorum naturæ causas, judicandi regulas, et morum leges cogitando abstrahere, earum cognitionem ordine aliquo disponere, atque ita *physicam, logicam et ethicam aliquam* condere cœperunt.

Poesim ad philosophandum viam munivisse, atque poetas primum *philosophari* ausos esse, adeoque in Thracia *philosophandi studia* suos natales habere, quæ primos Græciæ poetas Orpheum et Musæum genuit, dubium videri nequit. Sexcentis pæne a. Chr. n. annis studium philosophandi per poetas, gnomicos et legesatores *primos Græciæ sapientes* prognatum esse; deinde Thalete Milefio, Pythagora Samio, Zenone Eleatico aliisque auctoribus magis effloruisse, variasque philosophicas scholas seu sectas exortas esse, maxime credibile est.

§. 47. Ab Orpheo ad Lycurgum *poetica et mythica philosophandi ratio* valuit, atque maxime per Orpheum, Musæum, Hesiodum, Homerum promotæ est. A Lycurgo ad Thaletem Milefium *gnomica et politica philosophandi ratio* viguit i. e. temporis hujus sapientes gnomici et legesatores erant, morum et prudentiæ regulas tradebant, et de constituendis ac regendis familiis et civitatibus præcipiebant.

§. 48. A Thalete ad Socratem, partim *physica* et *metaphysica* de rerum principiis et causis, partim *dialectica* de vero et falso horumque criteriis philosophandi, partim *sophistica* in utramque partem disputandi ratio dominabatur, atque per Jonicos, Pythagoræos, et Eleaticos alebatur. A Socrate ad Epicurum *practica* potissimum i. e. de bono et malo quærendi ratio obtinuit, atque per Socratem, per Cyrenaicos auctore Aristippo, per Academicos auctore Platone, per Cynicos auctore Antisthene, per Stoicos auctore Zerone et per Epicureos auctore Epicuro floruit, quorum alii tantum *bonesta* et *rurpia*, alii tantum *jucunda* et *molesta* in *bonis* et *malis* ponebant.

§. 49. Ab Epicuro ad trecentimum p. Chr. n. annum partim *systematica* philosophandi i. e. philosophiam per partes et principia tradendi, partim *Sceptica* i. e. principia et criteria de vero et bono cavillandi, aut certe in dubium advocandi, partim *eclectica* et *syncretistica* ratio maxime viguit, quæ postrema systematum heterogeneorum partes in unum coniungebat. Hæ philosophandi rationes maxime per *Peripateticos* auctore Aristotele, per *Pyrrhonios* et *Academicos* auctore Pyrrhone et Carneade, denique per *Alexandrinos* et *Neoplatonicos*, Parmone, Clemente Alexandrino, atque Amonio et Plotino promotoribus exercebatur.

Historia philosophiæ mediæ ævi.

*Quæ fuerit philosophiæ conditio inter christianos usque ad
seculum decimum?*

§. 50. Sub Augusto novum philosophiæ nimirum eclecticæ genus auctore Patomone maxime Alexandria in-
valuit, quo eruditi ejus temporis propter insignes, quæ
ibi fuerant litterarum opportunitates, confluxerant. Inter
christianos Athenagoras, Pantænas et Clemens Alexandri-
nus seculo II. hanc philosophandi rationem secuti sunt,
qui philosophiam non stoicam, nec platoniceam aut epi-
cuream et aristotelicam, sed quæcunque a græcis philoso-
phis recte tradita sunt, *quæ docent justitiam cum pia
scientia, hoc totum selectum philosophiam dicebant.* At-
tamen primos christianos philosophos in moralibus stoi-
cos, in logicis Aristotelem, et in metaphysicis de Deo,
anima, spiritibus Platonem secutos esse constat.

Cum hoc tempore nonnulli eo studia sua conferrent,
ut disciplinas gentilium philosophorum cum christiana
conciliarent, illasque huic aut prælusisse, aut plane præ-
stare dicerent, exarserunt christianorum antistitum odia
in illorum temporum philosophias et philosophos. Hæc
odia itaque nec rationem philosophantem proprie, nec
philosophandi studia simpliciter spectabant, sed *rationem
falsis systematibus obnoxiam, et ab his profecta philoso-
phandi studia ad corrumpendam vel criminandam religio-
nem christianam adhibita insectabantur.* Genuinam philo-
sophandi sollertiam, et religionis christianæ puritatem
in eodem ingenio et animo consistere posse S. S. Pauli et

Augustini, aliorumque christianorum effata et exempla evincunt.

§ 51. Et profecto religio christiana, si veram ejus mentem et vim intelligimus, eo spectat, ut ratio philosopha i. e. veri et recti indagatrix in via sua contineatur. Adjuvat hujus naturalem intelligendi vim, eamque ut se ipsam i. e. potentiam suam examinet et æstimet, ut fallorum systematum, inanum auctoritatum et sensualitatis servitutem dejiciat, graviter admonet.

2.)

Quæ fuerit philosophiæ conditio apud Arabes et scholasticos?

§. 52. Muhamedes ejusque successores, qui quidquid scire hominum interesset in alcorano contineri existimarent, impedire tamen non potuerant, ne græci Muhamedanos victores suos ad philosophiæ amorem et studia excitarent. Calipha Al Mansur medicos græcos morbi, ejus filius Al Mohdi astrologiæ causa astronomos et mathematicos tuebatur. Harum Al Raschid artes et scientias jucunditatis et utilitatis causa promovebat, quare eruditos nulla religionis ratione habita Bagdadum aliciebat, atque græcorum libros in arabicam linguam converti curabat, inter quos præcipue Aristotelis libri logici et metaphysici erant. Quo factum est, ut omnem Arabum philosophiam logica et metaphysica aristotelica constitueret. Cum deinceps apud Arabes philosophi etiam artis medicæ professores essent, quæ rota in factorum observatione et causarum investigatione posita est, adeoque observandi et explorandi facultatem alit, proxime a vera

phi-

philosophandi fonte et via aberant. Sed præjudicia aliâque impedimenta obstabant, quo minus eam cernerent et prosequerentur. Qua de causa factum est, ut etiam celeberrimi Arabum philosophi Avicena et Averroes philosophiam non nisi ex male converso Aristotele tamquam fonte haurirent.

§. 53. Eruditi, qui sæculis 12, 13, 14 et 15 per Europam in publicis scholis scientias philosophicas et theologicas tradebant *doctores scholastici* vocabantur, ut a *monasticis magistris* distingerentur. Erat philosophia scholastica propter theologiæ scholasticæ dominatum scientia sæcularis et profana, et theologiæ ancilla, atque non nisi in clamorosa logica et male subtili metaphysica consistebat, in qua doctrinas per theologiæ scholasticam sancitas, alii subtilibus imperebant objectionibus, alii multo maioribus subtilitatibus solvebant. Scholastici logicam et metaphysicam non ex græco, sed ex eo, qui per arabicas translationes corruptus erat, Aristotele hauriebant, quem variis subtilitatibus et barbaro dicendi genere adhuc magis obscurabant et corrumpebant; quod malum ab illius et superioris temporis ingenio pendebat, atque multos proferebat occultos scepticos et atheos. Plures tamen erant inter scholasticos viri *eximio ingenio et exquisita* inter æquales *doctrina* præditi, uti Petrus Abælardus, Petrus Lombardus, Alexander Hales, Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas, Joannes Duns Scotus, Durandus, Guilielmus Occamus et alii,

III.)

Historia philosophiæ novi et nostri ævi.

I.)

Philosophiæ emendandæ prolusio, et pericula prima sæculis 15. 16. facta.

§. 54. Sæculo 15. vergente veterum græcorum et romanorum scriptorum lectio maxime in Italia, et deinde in Anglia et Germania invalescere, atque literæ humaniores coti cœperunt. Viri, qui ingenium literarum humaniorum studiis et opibus excoluerant, jam nec philosophiæ scholasticæ *barbariem* ferre, nec *dominarum* ejus porro pati poterant. Hac ratione, et per alias occasiones effectum est, ut præclara ingenia ad *liberaliter*, i. e. sine præjudicio et auctoritate *philosophandum* et philosophiam reformandam excitarentur.

Prima quidem reformandæ philosophiæ tentamina, quæ Brunus, Campanella, Cardanus, e. a. sæculo 16. fecerant infirma erant, et instar radiolorum lucis, qui in spissis scholasticæ philosophiæ nubibus effulgebant; horum tamen ope philosophandi viæ et fontes animadverti cœperunt, nimirum *observatio*, quæ facta naturæ et arbitrii apprehendit et connectit, deinde *investigatio*; quæ leges et causas factorum, legum et causarum aperit, denique *calculus*, qui rerum magnitudines eruit. Quamobrem omnium primo logica et physica emendari cœperunt.

Feliciores philosophiæ reformandæ conatus. Wolfius, eclecticici, Humius.

§. 55. Sæculo demum 17. feliciora philosophiæ emendandæ tentamina instituta sunt. Viri celeberrimi Baco, Cartesius, Lockius, Leibnizius philosophiæ novæ condendæ publice non solum consilia communicarunt, sed specimina ipsa ediderunt, cumque eodem tempore alii veterum philosophias mutatis formis instaurarent, auctæ sunt inter philosophos discordiæ, atque scepticismus caput altius extulit.

§. 56. Philosophiæ quidem Wolfianæ systema omnibus philosophorum postulatis et votis satisfacere videbatur, quod principiis superstructum esset, et omnes ac plane novas philosophiæ partes complecteretur, et præterea aliis scientiis emendandis inserviret. Cum tamen non esset sine nævis et adversariis, cumque ingenia humana *systematis* aut *radio* capiantur, aut *familiaritate* relaxentur; nonnulli, et quidem maxime philosophiæ professores sine systemate philosophari cœperunt, atque excusso philosophiæ Wolfianæ systematis, quasi jugo, eclecticam philosophandi rationem secuti singulas philosophicas aliasque scientias non sine laude emendabant.

§. 57. Eodem tempore, quo Wolfius Germanorum ingenia exercuit, Humius Anglorum ingenia torfit. Affirmavit nimirum Humius a consuetudine solum esse, cur alterum pro causa, alterum pro effectu haberetur, cum præter regularis coexistentiæ et successio-
nis rerum notitiam et consuetudinem nihil esset, cur *altera causa, altera effectus alterius* existimaretur. Quæ
affir-

affirmatio si vera esset, rationis et philosophiæ, causarum indagatricis, vis omnis penitus convulsa videri deberet. Commoverat Humius philosophorum maxime Anglorum popularium suorum indignationem, qui eum acriter redarguebant, sed non refutabant, cum neque mentem ejus satis intelligerent.

3.)

Philosophiæ penitus convertendæ conatus sub sæculi 18. finem facti.

§. 58. Kantius primus erat, qui et intellexerat, Humii asserto omnem theoreticæ et rationis potentiam et philosophiæ possibilitatem tolli, et tamquam novus in philosophia Copernicus viderat, per dogmaticam, quæ tunc viguerat, philosophiam eum errorem refelli plane non posse, cujus causam in eo positam esse affirmat, quod nec Humius, nec dogmatici veram rationis humanæ potentiam exploratam et perspectam haberent, ideoque falso existimarent, cognoscendi facultatem objectis se conformare debere, cum potius objecta se ad facultatis cognoscitivæ indolem et leges, i. e. ejus natives formas componere deberent.

§. 59. Quare Kantius plane novum philosophiæ systema conditurus imprimis facultatis cognoscitivæ, omnis philosophiæ fontis et effectricis, potentiam examini et quasi dimensioni subjecit, ut ratio humana, philosophiæ conditrix, prævie pervideret, quid ferre recusent, quid valeant humeri. Hoc opus certe admirabile, cujus ideam aliquam jam anno 1770, absolutionem vero ipsam 1781 orbi litterario communicavit, *criticam rationis puræ* appellavit. Quare etiam *philo-*
so-

sophiam, cujus organon hæc rationis critica est, *criticam*; huic vero oppositam *dogmaticam* per opprobrium dixit.

§. 60. Ex critica rationis Kantius hoc consequens esse affirmat, theoreticam rationem et philosophiam *naturæ*, libertati et moralitati voluntatis *oppositæ*, observatricem, indagatricem et interpretem nonnisi ad res sub sensus cadentes pertinere, adeoque experientiæ limitibus circumscribi; rationem vero et philosophiam practicam seu moralem velut legislatricem et reatricem voluntatis humanæ non tantum hujus libertatis indicem et vindicem, sed etiam omnis veræ *religionis* fontem esse.

PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ

P A R S P R I M A

PSYCHOLOGIA EMPIRICA.

PHILOSOPHIE THEORETICA

PARS PRIMA

PSYCHOLOGIA EMPIRICA

PROLEGOMENA

DE

PSYCHOLOGIA EMPIRICA UNIVERSA.

1.)

Psychologiæ empiricæ definitio et veritas.

§. 1.

Cum illud, quod homo quisque se ipsum (ego) dicit, quodque loquendi usus novus animam, vetus mentem animumve hominis latius vocat, ens sit propriis mutationibus et statibus, quæque his subjectæ sunt, legibus et proprietatibus, adeoque propria natura præditum, quam observationis et meditationis ductu ac sollertia eruere et cognoscere possumus; intelligitur fieri posse, ut cognitio de natura illius entis, hoc modo nata et aucta, ad ordinem et principia sua revocetur, adeoque scientiæ vim et dignitatem consequatur, quam ab objecto et fonte suo psychologiam empiricam appellari constat.

2.)

Ejus in generalem et particularem distributio.

§. 2. Psychologia empirica, quam etiam physicam animæ humanæ et anthropologiam appellare licet, quod

maxime ad hominis interni conditionem et indolem contemplandam et perscrutandam comparata est, jam pridem tanquam peculiaris philosophiæ theoreticæ pars pertractatur, atque optime somatologiæ (physicæ) more in generalem et specialem dispesci potest. Psychologia empirica *generalis* ea tradit, quæ animam humanam universe concernunt; *particularis* vero duplici primaria parte continetur, nimirum *dianöiologia*, quæ animam speciatim, ceu *mentem strictius*, i. e. ceu facultatis et muneris cognoscendi, quo intuendi et intelligendi dotes pertinent, subjectum et officinam, et *thelematologia*, quæ eam singillatim ceu *animum strictius*, i. e. ceu subjectum et sedem facultatis persentiscendi (Gefühlsvermögen) et appetendi, quo variæ propensiones variaque studia (Triebe) spectant, considerat.

PSYCHOLOGIA EMPIRICA
 GENERALIS,
 SEU DOCTRINA DE ANIMA HUMANA
 UNIVERSE SPECTATA.

SECTIO PRIMA

*Conceptum de anima humana fundamentalem
 præstruit et exponit.*

Admonitio de rei gravitate.

§. 3. Cum in nostris de objecto cujusvis scientiæ decretis maxime eum, quem ceu primum de illo mente

informatum tenemus, conceptum sequamur; intelligitur plurimum interesse, ut veram, evidentem et quam maxime fecundam de anima humana notionem, ceu studii psychologici directricem, constituamus. Profecto non nisi ex illis discrepantibus, qui aut valde manci, aut plane falsi sunt, quos diversi de anima humana fovent, conceptibus primis, illa insignis opinionum et systematum psychologicorum discrepantia intelligi potest.

I.

Notæ maxime obviæ et certæ ejus, quod animam hominis dicimus, afferuntur.

§. 4. Inprimis ea designanda sunt, ex quibus, ceu rebus in factis positis et cuivis plane indubiis, evidentem, quem in cæteris sequamur, de anima humana conceptum conficiamus.

§. 5. Primum eorum, quæ sunt cuivis *certissima*, quodque ipsum est omnis alterius certitudinis *fons et conditio*, est sua cujusque, in quam nulla plane dubitatio cadit, conscientia, et suæ cujusque conscientia absoluta unitas et identitas. Quidquid enim aliud pro certo habeamus, id aut res in conscientia quodam facto posita, aut certe talis esse debet, quæ ejusmodi facto tamquam signo arguatur; et quæcunque sit externorum et internorum statuum et objectorum diversitas et vicissitudo, absolute unam tamen, et numero semper eandem esse conscientiam, dubium ne videri quidem potest.

§. 6. Conscientiam a tribus, quibuscum intime unita est, diversam esse facile intelligitur, nempe *primum* ab iis, quos sua unitate et identitate complectitur *modificationibus*, deinde ab istis, quæ variis illarum modifica-

tionum generibus subiecta sunt *principiis*, denique a suo suarumque modificationum, quæque his substant, principiorum *subiecto*, quod quisque *se ipsum* vocat, Quæ vero in conscientia eveniunt modificationes *tribus generibus* comprehenduntur, quorum *primum* varias mentis perceptiones, cum immediatas, tum mediatas, *secundum* animi sensiones (*Gefühle der Lust und Unlust*) et appetitiones, *tertium* denique voluntatis decreta et operationes complectitur.

II.

Ab his notis plane luculentus de anima humana conceptus ducitur.

§ 7. Conscientiam, deinde modificationes, quæ in conscientia eveniunt, et principia, quæ his modificationibus substant, reapse existere, atque accidentium et qualitatum numero esse, dubium videri nequit; quare sine subiecto aliquo, quod vera res et non mera idea sit, cuique illæ tamquam veræ mutationes et proprietates inhæreant, esse plane nequeunt.

§ 8. Hoc subiectum, quod conscientiæ et naturæ suæ unitate et identitate omnes suas intuitiones, cognitiones, sensiones, appetitiones, volitiones et operationes, harumque modificationum principia tamquam suas proprietates complectitur, atque a semet ipso, a se invicem, atque a suis objectis distinguit, *animam hominis* dicimus.

§ 9. Ex quo evidenter consequitur, animam et memet (ego) numero idem et plane unum esse, atque natura coincidere, adeoque *reapse* et non nisi *unam* in quovis homine, sensualitate et ratione prædita, *animam*
exi-

existere, neque *ex eorum*, quæ in aliis accidunt et inhæreant, sed *istorum* genere, quæ per se sint et subsistant, i. e. substantiam esse.

III.

Animam hominis a corpore diversam esse ostenditur.

§. 10. Homo non anima solum, verum etiam corpore artificiosissime constructo, tamquam animæ in mundo statione et quasi specula constat, cujus, tamquam organi, ministerio anima impressiones introrsum recipit, et motus extrorsum impertit. Anima, homo internus, corporis incolæ et opifex; corpus vero homo externus, animæ domicilium et instrumentum est; quare anima et corpus in homine penitus differunt.

§. 11. Mens, ad quam intuendi et intelligendi facultates, actus et leges pertinent (dianoïonomia), deinde animus, ad quem sensationum et appetitionum facultates, motus et leges spectant (thelematonomia), denique voluntas proprie dicta, actionum liberarum et morum effectrix, ad quam leges morum referuntur (eleutherionomia), a corpore, in quo præter ossium compagem, partes organicae et animales cum suis viribus, functionibus et legibus cernuntur (organonomia, Zoonomia) adeo differunt, ut nullo modo ei, qui has res satis noverit, idem aut ejusdem naturæ videri possint.

§. 12. Anima, mens, animus absolute unum, semper et ubique numero idem, noumenon, corpus vero hominis, multiplicium organorum compages, perpetuo fluxui obnoxia, phænomenon est. Mutationes statusque animæ, non nisi sensu interno attingendæ, cum suis prin-

principiis omnem spatii ideam excludunt, atque tamquam veræ qualitates subjecto suo proprie inhærent; at proprietates et modificationes corporis humani, non nisi sensu externo innotescentes, spatii ideam necessario adjunctam habent, atque ex partium extra partes positarum articulatione et conjunctione resultant.

SECTIO SECUNDA

Animæ et corporis in homine harmoniam considerat.

Tractandorum ordo.

§. 13. Quamquam autem in homine anima et corpus natura totoque genere differunt, admirabilis tamen inter has duas ejus partes consensus intercedit, cujus jam indoles, leges et causa universe in psychologia empirica generali consideranda sunt.

I.

Harmonia inter animam et corpus hominis intercedens definitur.

§. 14. Experientia et meditatio docent, animam et corpus, sive harum hominis constitutarum partium mutationes, sive proprietates et status spectentur, tam admirabili concentu conspirare, ut nullo modo illud naturæ judicium cohiberi possit, quo revera alteram harum partium eorum, quæ alteri accidunt, conditionem et causam esse statuitur.

§. 15. Hanc animæ et corporis, quoad utriusque indolem permanentem et conditionem variabilem, consensus-

fionem, *harmoniam*, *unionem*, *commercium* dici constat; cujus cognitione efficitur, ut corpus et anima unius totius, unius entis mixtæ naturæ nempe hominis partes existimentur.

§. 16. Nititur hæc animæ et corporis harmonia stabilibus naturæ legibus, quarum cognitio non tantum psychologorum, ut phænomena anthropologica explicent, verum etiam medicorum et ethicorum consiliis, ut illa phænomena jam commoveant et promoveant, jam impediunt et reprimant, plurimum inservit.

II.

Leges harmoniæ animam et corpus unientis afferuntur.

§. 17. Harmoniæ, quæ dicuntur, leges, illius quæ inter animæ et corporis oeconomias intercedit mutua conspiratio, modos rationesque indicant; ex comparatione eorum, quæ harmoniam insigniunt, phænomenorum, tres leges se manifestant..

1.)

Lex harmoniæ prima cum factis naturæ, quibus se prodit.

§. 18. Quemadmodum certæ mentis perceptiones animique sensiones eas, quæ in corpore accidunt, mutationes, velut conditiones et regulas suas, sequuntur; ita vice versa certi corporis motus ad mentis, animi et voluptatis perceptiones, sensiones et decreta, velut conditiones et regulas suas, existunt.

§. 19. Ejusmodi perceptiones et sensiones, quæ ordinariæ corporis mutationes sequuntur vel præcedunt, sunt perceptiones et sensiones vitales et organicæ, quarum

rum priores in organa vitæ et vocis, posteriores vero in organa sensus et loquellæ suam vim præcipue exserunt.

2.)

Lex harmoniæ secunda cum phænomenis, quibus innuitur.

§. 20. Quemadmodum ingeniorum et animorum humanorum indoles temperamenti, adeoque climatis et vicus, rationem; ita oris vultusque lineamenta, capitis conformatio, obtutus, incessus, sermo ingenii et animi indolem et habitum sequuntur.

§. 21. Nimirum quodvis temperamentum, quodvis clima subjectorum et incolarum suorum ingenio et animo certam formam i. e. certam dispositionem et habilitatem imperit, et quævis ingenii et animi forma insignis per physiognomiam sui subjecti conspicua redditur.

3.)

Lex harmoniæ tertia cum indiciis, quibus cernitur.

§. 22. Etiam animæ et corporis status amice conspirant, ita ut alterius conditio alterius operationes juvet, impediatur, pervertat; et alterius vigor, debilitas et perturbatio alterum afficiat.

§. 23. Quis enim nescit, animi et corporis vires fere simul crescere et decrescere, et placidis mentis studiis animique motibus etiam placidos et salubres, immodicis vero et perturbatis etiam vehementes et noxios corporis motus adjunctos esse.

III.

Quæ sit harmoniæ causa, quæ animæ in corpore suo sedes, prævie quæritur.

§. 24. Quamquam autem phænomena et leges harmoniæ consideranti dubium videri nequeat, alteram hominis partem alterius vi mutari, quod *influxum physicum* appellant; hoc tamen nullo modo explicari et intelligi potest, qua ratione ex corporis motibus animæ perceptiones et commotiones, et ex his atque voluntatis decretis corporis mutationes orientur. Quam ob rem philosophi, qui influxum physicum animi naturæ adversum esse censuerunt, *Dei vel assistentiam, vel præstabilitionem* harmoniæ causam dixerunt.

§. 25. Cum tamen certum sit, impressiones in organa sensoria factas per nervos ad cerebrum velut omnium nervorum principium propagari debere, ut sensationes nascantur; et motuum corporis ab animæ vi, et nutu pendentium initia in nervorum principiis existere: cerebrum *sensorium et motorium commune, adeoque sedem animæ hoc sensu esse* consequitur, quia ad illud impressiones ab objectis factæ, ut perceptiones orientur, deferri, et ab illo motus ad remotiores corporis partes propagari debent.

S E C T I O T E R T I A

In quo posita sit primitiva animæ humanæ essentia, inquirat.

I.

Animæ humanæ modificationes ad sua genera et principia reducuntur.

§. 26. Innumeri, qui continuo in anima humana eveniunt, motus tribus generibus subiecti sunt; quorum *primum* mentis perceptiones seu repræsentationes, cum immediatas, seu intuitus, tum mediatas, seu conceptus et iudicia ac cognitiones; *secundum* animi affectiones, cum voluptatis et tædii sensiones, tum appetitionum et averfationum nisus varios, quibus animus ad ingratorum adeptionem et ingratorum fugam trahitur; *tertium* denique voluntatis decreta et operationes varias complectitur.

§. 27. In anima humana *alia* non sponte et arbitrio, sed naturæ vi accidere, *alia* ipsa intendente, moliente et operante geri, sua quemque conscientia convincit. Hoc certe extra dubium positum est, animam sæpe sponte et consulto attendere, meditari, sensiones vel continuare vel non continuare, appetitionesque suos explere vel frustrari, ut adeoque nullo modo *automatis spiritualis* species videri possit,

§. 28. Essentialis *modificationum* animæ humanæ diversitas etiam *principiorum* in ipsa diversitatem innuit. Inde est, cur *in anima* humana cognoscendi, persentiscendi, appetendi et decernendi ac operandi facultates et leges, adeoque *in homine* mentem, animum et voluntatem, et porro *in mente* sensualitatem et intelligentiam,

in animo profensiones et instinctus, *in voluntate* libertatem, ac arbitrium atque mores, et liberas actiones concipiamus et distinguamus.

II.

Vis animæ primitiva inquiritur, et systematum psychologicorum scopuli indicantur.

§. 29. Quæcunque animæ humanæ mutationes, fundamenti respectu, sunt meræ modificationes (manifestationes) *ejusdem* jam passive jam active *se habentis*, atque jam objecta suarum repræsentationum, jam varios status sui subjecti *spectantis conscientiæ*, quæ *hujus* unitate artissime uniuntur. Quare *conscientiæ vis* primitivam animæ humanæ vim, vel potius ipsam animam *absolvit*, *illa* vero cognitionum, sensationum, appetitionum et decretorum ac operationum *principia*, facultatum nomine venientia, ejus primarias proprietates tamquam vis conscientiæ stirpes *constituunt*, atque simul sumtæ primitivam animæ humanæ essentiam *efficiunt*.

§. 30. An anima humana *primo* sit ens mere passivum, nihilque nisi fibrarum encephali impulsiones et lusus varios percipiat; an vero potius spontaneitate et arbitrio gaudeat, atque quædam sine impressionum et legum naturæ vi, sponte et voluntate sua efficiat, hæcque spontaneitas et efficientia an animæ, qua menti, vel qua animo, vel qua personæ solum conveniat; *præterea* an mentis perceptiones et cognitiones, et animi sensationes ac appetitiones statusque omnes nihil sint nisi evolutiones eorum, quæ jam primitus in ejus fundo recondita *in vitæ* usu tantum efflorescant; an vero potius in ea re etiam a constitutione et situ corporis sui tamquam a statione et offi-

cina sua pendeat; *porro* an menti humanæ insint nativæ quædam omnium quæ sentiat, cognoscat et cogitet formæ, ut adeoque mens omnium rerum, non vero res cognitionum modum, mensuram et basim constituent; *denique* an omnis cognitio humana experientiæ limitibus circumscripta sit, neque ullo modo, ulla parte res, prout in se sunt, attingat; res est inter celeberrimos psychologos anceps et controversa, atque propterea jam hoc loco indicatur, ut psychologię difficultates, atque quali labyrinthos et scopulos noscamus.

III.

Prolegomenorum de psychologia empirica universa continuatio.

§. 31. Jam in fine psychologię empiricæ generalis, studii psychologici difficultates et usus explicemus, atque theoriarum, methodorum ac scriptorum psychologicorum censuram instituamus.

I.)

Psychologię empiricæ difficultates et usus ostenduntur.

§. 32. Psychologię operam navaturi quæ difficultates rectam observationem et explorationem animæ humanæ impeditam reddant, cognoscere debent, ut provide et circumspecte in hoc studio versentur, neque, opinata rei facilitate decepti; phænomena psychologica perfunctorie observent, et festinanter explicent.

§. 33. *Imprimis* difficillime ea notantur, quæ in anima eveniunt; partim propterea, quod velocissime accidunt

dunt et mutantur, nec pro lubitu instaurari, aut aliis monstrari possunt; partim propterea quod vel propter consuetudinem, vel propter sensationum externarum vim, vel propter animi commotiones aciem mentis facile fugiunt aut fallunt. *Deinde* difficillime phænomenorum sensus interni leges et causæ explorantur, ac redduntur propterea, quod plures causæ ad eorum effectum vario efficientiæ genere et gradu concurrunt, neque facile mens præconceptis opinionibus vacua ad eorum investigationem affertur. *Denique* illi, qui propter nativam ingenii habilitatem et vitæ generis opportunitatem diligenti observatione et perscrutatione psychologiam emendare et amplificare possent, ingenio et opportunitati defunt, aut certe usus psychologiarum observationum ignari earum collectionem negligunt.

§. 34. Sed hæc difficultates tantæ non sunt, ut eas qui insignem observandi sollicitiam et diligentiam adhibeat, mentem præjudiciis vacuam afferat, et multiplicem psychologię usum percogitet, superare aut nequeat aut nolit.

§. 35. In psychologia *primo* omnium, cum inferiorum tum superiorum mentis habitatum et facultatum, animique propensionum ac instinctuum motus, operationes, leges, perfectiones et imperfectiones cognoscuntur, cujus cognitionis non modo incredibilis quædam jucunditas, verum etiam maxima vis est, tum ad sui ipsius, tum ad aliorum ingenium animumque dijudicandum, moderandum et emendandum. *Deinde* in pluribus scientiis et negotiis opus est systematica naturæ animæ humanæ cognitione, in quarum numero certe illæ sunt, quæ aliquam aut mentis, aut animi, aut voluntatis sive nomothésin sive nomognosin sibi propositam habent,
ad

ad quas maxime Logica, Gramatica, Æsthetica, Ethica, Politica, Pædagogica et scientia medica pertinent. *Denique* non nisi qui ingenii, animi et voluntatis humanæ vires, operationes et leges satis perspectas habet, ad historiæ, linguarum et auctorum classicorum studium et intelligentiam satis aptus et præparatus videri potest. *Medici* etiam, si *principum suorum* monita et exempla tandem audiant, ad scientiæ suæ studium et usum penitioris psychologiæ cognitione se carere non posse facile intelligent.

II.)

Methodorum et theoriarum psychologicarum censura.

§. 36. Methodus psychologiæ empiricæ accommodata alia non est quam illa, quam empirico-logicam, vel philosophico-analyticam appellare possis. Psychologus empiricus *imprimis* phænomena sensus interni i. e. animæ motus statusque accurate observatos et plene comparatos per stabiles notas ad genera et nomina sua revocare; *deinde* eorum conjunctiones i. e. coexistentias et successiones primum regulares, porro vero causales indagare, atque ita eorum, quæ in anima fiunt, leges causasque exquirere; *denique* harum observationum et investigationum ductu proprietates et essentiam animæ primitivam eruere, atque hoc modo ejus physicam, seu theoriam i. e. psychologiam empiricam maxime pragmaticam condere debet.

§. 37. Theorias, quæ existant de anima humana, et methodos psychologorum comparanti earum divortia et discrepantiæ facile illucescunt, a quibus tamquam ab aviis et deviis sedulo cavendum est. Nimirum alios psychologos neglecta factorum conscientiæ observatione et

analyfi *præconceptis et precariis* de anima, ejusque facultatibus *ideis* insistere; alios vero singulis psychologicis phænomenis, horumque similitudinibus, legibus et causis se continere, atque hoc spectare videas, ut potius destinata de natura animæ humanæ sententiam explicando confirment, quam veram ejus naturam indagando exquirant et eruant.

§. 38. Hoc sibi propositum habent psychologorum disquisitiones, ut quid sit illud *ens* intuitionum, cogitationum, sensationum voluptatis et tædii, appetitionum et aversionum, atque volitionum *compos*, constituent. Illi qui maxime causarum corporearum in illos animæ motus et actus vim considerant et admirantur, animam corpoream, aut hoc totum nomen inane esse statuunt; *isti* vero, qui præcipue absolutam conscientie unitatem et identitatem, qua omnes illius motus et actus uniuntur, perpendunt. *subjectum conscientie* omnis concretionis corporeæ *expers* esse contendunt. Ex materialistarum, non vero ex spiritualistarum aspectu et quasi statione necessario, animæ humanæ motus et actus falso aut certe mance concipi, facile intelligitur, siquidem isti animæ functiones systematis et fluidi nervei lusus esse negent, sed tamen animam in iis corporis vim pati concedant.

PSYCHOLOGIA EMPIRICA PARTICULARIS,

SEU

DOCTRINA DE MENTE ET ANIMO HO-
MINIS SPECIATIM CONSIDERATIS.

§. 39. Animam humanam jam *mentem*, jam *animum* *strictius* dici suo loco monitum et definitum est; inde nascitur duplex specialis de anima humana theoria, nimirum *primum* illa, quæ mentis, seu ingenii, *deinde* ista, quæ animi, seu pectoris humani naturam scrutatur et explicat; ex quo psychologiam empiricam particularem duplici primaria parte nimirum *dianoiologia* et *thelematologia* constare consequitur.

PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ PARTICULARIS

PARS PRIMA,

Dianoiologia seu theoria de mente humana.

PROOEMIUM,

1.)

*Facultatis, cognoscendi et dianoiologiæ definitio ac
partitio.*

§. 40. Animam humanam variarum rerum ideis, seu repræsentationibus non minus, quam conscientia sui ip-
sius

fius potiri, plane indubium est; quare principium possibilitatis repræsentationum objectivarum, seu cognitionum ei inesse necesse est, quod *facultatem cognoscendi* dicimus. Hæc universe duplici plane diverso modo se exferit, nempe vel per repræsentationes singulares et immediatas, seu per *intuitus*, vel per universales et mediatas seu per *conceptus*; a priore illa passiva objecta intuendi ratione *sensualitatis*, seu facultatis cognoscendi inferioris, a posteriore isto activo intelligendi munere vero *intellectualitatis*, seu facultatis cognoscitivæ superioris nomen gerit. Utraque dos varias facultates ceu stirpes habet, atque cum his quasi familiam facultatis cognoscitivæ constituit, quæ inter homines per varias causas varie determinata est, unde ingeniorum discrimina existunt. Dianoiologia naturam et vim *mentis* seu *ingenii humani* scrutatur, quo nomine animam *tamquam* facultatis cognoscendi familiæ et œconomix omnis, legibus naturæ subiectæ, *sedem* significari constat; quare duæ sunt ejus partes nimirum physiologia et philotophia historix mentis seu ingenii humani.

2.)

Dianoiologiæ usus, Cautionis in cognitione mentis humanæ necessitas.

§ 41. Dianoiologia hoc præcipue sibi propositum habet, ut *vim et potentiam* facultatis cognoscitivæ humanæ *aperiat*, i. e. ut quibus ea dotibus prædita sit, quo modo hæ se exferant, quibus naturæ legibus singulæ ejus facultates adstrictæ sint, quid hæ ad cognitionem rerum conferant, quibusque rationibus perficiantur, *expliket*; quarum rerum profunda et absolutior cognitio,

tum ad hoc necessaria est, ut qui sint cognitionis humanæ fontes, quæ genera, qui limites intelligatur; *tum* ad istud, ut ingenii et pectoris singulorum indoles explorari, dijudicari et emendari possit, cum in ingenii cujusvis hominis indole et conditione causæ propriores contineantur, cur cujuscunque rei veritatem et bonitatem certo modo dijudicet, curque certam volendi et agendi rationem sequatur. Sed hæc naturæ ingenii humani investigatio et perscrutatio difficultates et pericula habet, quare cautione et præjudiciorum vacuitate opus est, ne pro arbitrio mentis facultates, functiones et leges concipiamus, atque naturales earum rerum conceptus ad opitulandum præconceptis opinionibus et finibus detorqueamus.

DIANOIOLOGIÆ

PARS PRIMA

Physiologia mentis seu ingenii humani.

§. 42. Physiologia mentis seu ingenii, quam etiam didacticam dianoiologicam dicere possis, in hoc operam suam consumit, ut quæ per *sensualitatem et intellectualitatem* mentis, seu per facultatem cognoscendi inferiorem et superiorem in anima geruntur, maxime, qua sunt pragmatici generis, i. e. ad vitæ et scientiarum usum facere possunt, ope observationis et comparationis ad conceptus et regulas, et ope indagationis et interpretationis ad leges et causas revocet.

CAPUT PRIMUM.

De sensualitate mentis, seu de facultate cognoscendi inferiore.

§. 43. Facultas cognoscendi primum *intuendo* se exserit. Primæ enim, quibus mens potitur, perceptiones vulgo repræsentationes sunt illæ singulares et immediatæ, quæ a veteribus philosophis *idea*, *species*, a recentioribus vero *intuitiones* appellantur. *Intuitiones*, conceptibus et cognitionibus proprie dictis oppositæ, sunt aliæ *empiricæ*, quæ res sensibus præsentæ, aliæ *imaginariæ*, quæ res absentes aut mere fictas exhibent. Ab hoc ignobiliore repræsentationum genere, menti *sensualitas*, ejus intellectua-
litati opposita, seu facultas cognoscendi inferior tribuitur, quæ adeo duas peculiare facultates, nempe *facultatem sentiendi* seu sensum, et *facultatem imaginandi* seu phantasiam complectitur.

S E C T I O P R I M A

De facultate sentiendi seu sensu.

§. 44. Facultas mentis objecta sibi repræsentandi eo, quo ipsam actu adficiunt, modo, dicitur *facultas sentiendi*, seu *sensus*, qui vel circa ea, quæ extra mentem posita sunt, et in ejus organa agunt, vel circa illa quæ in anima ipsa eveniunt, eamque intime sine organorum ministerio adficiunt, adeoque circa mutationes et status ipsius animæ versatur, ille *externus*, seu *externorum*, hic *internus* seu *internorum sensus* dicitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De sensu externo.

I.

Sensus et sensationis externæ natura universa explicatur.

§. 45. Cum res externas nobis repræsentamus eo, quo mentem, organorum quorundam corporis ministerio, afficiunt modo, *externæ sentire* dicimur; ejusmodi repræsentationes rerum externarum in mente, *sensationes et intuitiones externas* appellamus. Organa corporis, quorum ministerio sensationes externæ in mente efficiuntur, non sunt nisi *nervi, cerebri medullæ propagines*, cum ex earum corporis partium, quæ nervis destituuntur contractatione sensationes nullæ nascuntur. Quidam nervi uti illi, qui tactui, gustui et olfactui præsunt, ab objectis ipsis contractari, alii uti opticus et acusticus mediantibus lucis radiis et aeris oscillationibus affici debent, ut sensationes externæ certi generis orientur. *Sensationum organicarum* quintuplex est essentielle discrimen, quod adeo non nisi quintuplicem sensus organici formam innuit. Ex quo consequitur, sensationes externas conjunctis trium causarum principalium viribus effici, nimirum *objectorum* actione, *organorum* ministerio et *mentis* receptivitate, adeoque pro harum rerum diversa indole et conditione in diversis hominibus discrepare, atque omnis cognitionis humanæ conditiones esse.

II.

Indoles cognitionis per sensus externos, et ratio
hos perficiendi indicatur.

§. 46. Ad cognitionis, quæ a sensibus externis ducitur, naturam veritatemque intelligendam varia, quorum vi hoc cognitionis genus perficitur, distinguere et perpendere debent, nempe a) objecta ipsa externa, eorumque indoles et adjuncta, variis mutationibus obnoxia b) ab his vel *mechanice* vel *chemice* in organis sensoriis effectæ, et inde ad cerebrum velut sensorium commune *propagata*, horumque indolem nativam et statum præsentem *sequentes mutationes*, quæ *impressiones externæ*, et in principiis nervorum existentes *ideæ materiales* dicuntur, denique c) perceptiones hoc modo in mente effectæ, quæ proprie sunt sensationes (*ideæ formales*) seu intuitiones, quæ animæ statum præsentem sequuntur.

§. 47. Sensatio insensibiliter interrupta videtur esse continua, et ex organi statu perceptio nasci potest, quamquam illud ab objecto aliquo non afficiatur, inde nascuntur repræsentamina in mente (sensationes spurix), quæ festinanter judicantibus erroris causæ existunt. Organa visus et auditus varia ratione debilitari et depravari posse experientia docet; quare cautione opus est, ut evitentur illa, quibus organorum illorum nativa perfectio minuitur. Cumque sensus externus fons sit *omnis*, quæ naturam corpoream spectat, *cognitionis*, interest scire, qua ratione *perfici* h. e. acuti et subtiles reddi possint, ut ipsorum ope illa, quæ alios fugiunt, animadverti possint; quod sensuum et attentionis exercitatione fieri, exempla illorum docent, qui discrimina, distantias, pondera,
alias-

aliasque rerum sub sensus cadentium magnitudines obtutu exacte æstimant,

III.

Kantii doctrina de spatio, tamquam nativa sensus externi forma, dijudicatur.

§. 48. Kantius, cui in hoc nullus dux erat, docet esse meram sensus externi proprietatem et legem, quam ejus *formam* appellat, cur ejus objecta nobis tamquam extra nos, et extra se invicem posita appareant, uti e. c. speculorum cylindricorum proprietas est, cur in iis objecta tamquam oblonga repræsententur; hancque sensus externi formam reapse *id* esse, quod *merum spatium* dicimus, hoc adeo *a priori* et *purum intuitum* esse, cum sublatis omnibus phænomenis, quibus adjunctus est, in mente superstes maneat, inde vero porro intelligi et explicari posse, cur Geometria pura cognitiones *a priori* et syntheticas contineat, et de mundo corporeo tam exacte valeat.

§. 49. Cum organa sensoria, extra mentem et extra se invicem posita, non sint consecraria, sed conditiones omnium exterius comparentium, cumque objecta externa non solum extra nos et extra se invicem, sed etiam in mutabilibus, at semper definitis distantis reperiantur; consequitur illam objectorum extra nos et extra se invicem positionem, non esse meram sensus externi, sed potius organorum et objectorum propriam legem; sublatis cogitatione omnibus externis phænomenis non purus quidam intuitus, sed repræsentatio *meri et interminati vacui* remanet, cui omnes spatii puri proprietates nimirum unicitas, perfecta continuitas, uniformitas, penetrabilitas, immobilitas et triplex tantum dimensio con-

venit. Hoc vacuum est *proprium geometriæ objectum*, atque ex ejus indole *apodixis et intuitiva certitudo*, atque *perfectus cum mundo corporeo geometriæ concentus* intelligitur.

ARTICULUS ALTER.

De sensu interno.

I.

Sensus et sensationis internæ natura univërsa declaratur.

§. 50. Anima humana sibi etiam proprias mutationes et status, horumque indolem eo, quo ab iis afficitur, modo repræsentat, i. e. *interne sentit*; quare *sensus internus* est facultas mentis, qua fit, ut a propriis mutationibus et statibus afficiatur, hocque modo de iis immediatas perceptiones, i. e. *sensationes internas* acquirat, quarum ab externis discrimen facile illucet, cum *externarum* objecta spatii repræsentationem necessario sibi adjunctam habeant, atque in mentem extrinsecus agant, *internarum* vero objecta omne spatium necessario excludant, mentique interius in se ipsa, tamquam singulæ facultatum animæ humanæ manifestationes, objiciantur, a quarum accurata observatione mens ad caussarum et legum, quibus adstrictæ sunt, explorationem progreditur, atque hoc modo *theoriam naturæ* animæ humanæ, i. e. *psychologiam empiricam* condit. Inde sequitur mentem variis sensu externo arreptis visis excitari, atque suas in ea vires intendendo omnem postea cognitionem conficere, adeoque ante sensuum externorum usum nullam in ea cognitionem locum habere posse.

II.

II.

Sensus interni formæ et auctoritas indicantur.

§. 51. Sed ut mens sensu interno ea, quibus interius afficitur, satis clare et vere percipiat, necesse est, ut et ipse ille sensus satis acuminis et habilitatis, et ejus impulsiones satis intensiois et durationis habeant. Sensus etiam internus exercitio mirum quantum acui posse, atque hoc maxime consiliis psychologicis prodesse, experientia constat. *Sensui interno* homo sui, i. e. *sui* quocunque tempore *status*, *suaque* in omni sua conditionis et sui corporis fluxu *individualitatis et identitatis*, seu *personalitatis* aliquam conscientiam debet, quam *sensum sui* dicimus. Et quemadmodum ab iis, quas res externæ in nobis excitant, sensationibus corporum qualitates concipimus et denominamus, ita etiam sensationes internas ab ea judiciorum, deinde consiliorum et actionum, denique naturæ et artis operum indole, a qua illæ proficisci videntur, denominamus, unde sensus veri et falsi, recti et pravi, pulchri et deformis celebratissima nomina nata sunt. Sed rem etiam atque etiam perpendenti patet, non judiciorum veritatem, consiliorum et actionum rectitudinem et honestatem, atque operum naturæ et artis pulchritudinem, sed tantum necessitatem *primis* assentiendi, *secundas* approbandi, et *tertiis* gaudendi nos proprie sentire. Quæ necessitas cum sæpe a fortuita mentis, voluntatis et gustus conditione, non vero ab istarum hominis proprietatum legibus pendeat, sequitur sensum internum non semper fidum esse veri, recti et pulchri *indicem*.

III.

Kantii doctrina de tempore, tamquam nativa
sensus interni forma, dijudicatur.

§ 52. Hoc criticæ, quam dicunt, philosophiæ proprium et plane singulare dogma est, esse meram *sensus interni* proprietatem, quam illa ejus *formam* appellat, cur objectorum alia simul, alia successive, i. e. alterum post alterum percipiamus, hancque proprietatem esse id ipsum, quod *tempus* dicimus, hoc adeoque esse per se purum intuitum, ex mentis quasi intestinis prodeuntem, cum iis, quæ in tempore sunt, cogitatione sublatis, tempus tamen in mente superstes maneat, atque ab illo intuitu pendere, cur certis syntheticis judiciis potiamur, curque his, temporis relationes spectantibus, judiciis apodixis constet.

§. 53. Sed *primo* ab intuitus natura plane abhorret successio, quæ etiam præterita et futura, nullo sensu attingenda, complectitur. *Deinde* nullo modo persuaderi potest, hoc tantum a passiva sensus interni indole, & non etiam ab objectorum actione pendere, cur alia simul, alia deinceps, atque jam hoc jam alio ordine compareant, curque aliorum in sensus impressiones incipere, aliorum continuari, aut desinere judicamus. *Denique* sublatis, quas in tempore percipimus rebus & mutationibus, meram successionis sine determinatis succedentibus representationem retineri posse, dubio caret, quæ cum lineæ continuæ æmula, atque omni actuali successioni communis sit; inde omnia plenum explicatum habent, propter quæ nova temporis theoria a Kantio ingeniose excogitata est.

S E C T I O A L T E R A

De facultate imaginandi, seu phantasia.

I.

Natura facultatis imaginandi explicatur.

1.)

Repræsentationes sensationum similitudinem referentes.

§. 54. Objectis, sensus impellere desinentibus perceptiones eorum plerumque cessant, insunt tamen menti repræsentationes singulares sensationum æmulæ, quibus nulla præsentia objecta respondent, quas *phantasiæ intuitiones* dicunt, ut a sensuum intuitionibus distinguantur.

§. 55. Eiusmodi repræsentationes non tantum illæ sunt, quæ aliquando ex organorum statu existunt, licet illa ab objectis non impellantur, quas sensationes spurias et illusiones organicas dicunt; verum præcipue partim illa debiliora rerum sensibilibus, quæ alias sensus impulerunt simulacra, partim istæ species, quæ ex plurimum ejusmodi simulacrorum, eorumve partium in unam formam coalitione existunt, atque *fictiones* vocantur.

§. 56. Hæc repræsentamina propter similitudinem cum rebus sub sensu cadentibus *imagines* dicuntur, mensque cum eiusmodi repræsentationes sensationum æmulas habet, *imaginari sibi aliquid* dicitur; at mentem hanc solum ob causam sibi aliquid imaginari, quod illud aliquando sensu perceperit, dici nequit.

2.)

An sensationes aliqua sui vestigia relinquunt?

§. 57. Sunt psychologi, qui per ipsum sentiendi actum quemlibet vestigia quædam, velut sensationum effectus

rus in mente aut cerebro relinqui, hoc vero modo repræsentationes conservari dicunt; quare per hæc vestigia cum restaurantur, mentem affici, atque ita necessario quædam eorum, quæ olim sensibus percepta sunt, simulacra nasci affirmant. Vestigia hæc alii imminutas quasdam objectorum delineationes in mente, aut in principiis nervinis cerebri, alii tantum dispositiones utriusque ad pristinos motus esse dicunt.

§. 58. Sunt præterea psychologi, qui objectis sensus afficere desinentibus non eorum repræsentationes, sed tantum harum conscientiam in mente cessare, illasque non deleri, sed tantum obscurari et involvi, hocque modo a mente retineri affirmant, donec ope aliarum repræsentationum per adfociationis leges instaurentur i. e. ex obscuris denuo claræ efficiantur, seu ex fundo mentis, tanquam complexu omnium obscurarum repræsentationum ad conscientiam revocentur. Harum hypothesium nullam pragmaticum rei explicatum exhibere facile intelligitur.

3.)

Facultatis imaginandi definitio.

§. 59. Per se illa sensationum simulacra non magis cum iudicio de ideali tantum objectorum suorum præsentia, quam sensationes cum iudicio de reali eorum præsentia conjunctas esse, neque solo vividitatis illarum repræsentationum gradu illa iudicia niti posse, facile intelligitur.

§. 60. Quare imaginandi facultas seu phantasia est illa sensuum æmula mentis facultas, qua ei rerum non præsentium species, seu imagines sistuntur, quæ vel mera objectorum, olim sensu perceptorum, simulacra, vel illarum imaginum quasdam confociationes menti exhibent.

II.

Leges facultatis imaginandi exponuntur.

1.)

Phantasia sensuum perceptionibus tamquam materiæ suæ adstricta est.

§. 61. Nihil in phantasia esse posse, quod non prius aliquo modo in sensu fuerit dubium videri nequit; qui enim a nativitate sunt visu vel auditu destituti, nullis rerum sub illos sensus cadentium simulacris potiuntur. Neque res, quæ sunt supra sensus positæ, sub phantasiam ullo modo cadunt.

§. 62. Inde tamen non sequitur omnem phantasiæ vim non nisi ad rerum, prout olim sensibus perceptæ sunt, effingenda & restauranda simulacra pertinere, quod in eorum, quæ observando cognovimus, descriptione, narratione & imitatione usu venit; constat enim eam imagines varia ratione jam disjungere, jam componere, unde facultatis detrahendi & fingendi nomen habet.

63. Fingendi facultatem quamquam uberrimum mirabilem fontem, cum ab ea quidquid novarum machinarum, ædificiorum, fabularum excogitatum est, reperendum sit, non tamen *creatricem*, sed tantum *fictricem* & *productricem*, atque artificum musivorum *æmulam* esse, facile intelligitur.

2.)

Phantasia omnium sensuum ideas, sed non omnes æquali vividitatis gradu revocare potest.

§. 64. Omnium rerum absentium, quæ olim sensibus perceptæ sunt, imagines restaurari posse, atque ipsarum vel coexistentiæ pristinæ, vel affinitatis mutæ lege, at

non

non omnes & semper æquali claritate redire, experientia docet. Quippe rerum visu vel auditu perceptarum simulacra aliis sunt lucidiora, atque eo facilius ad animum redeunt rerum absentium imagines, quo clarius, diutius, recentius, frequentius eæ perceptæ sunt, & quo magis animus a sensuum impulsionibus vacuus est, quod maxime in tenebris & solitudine accidit.

§. 65. Experientia præterea docet, omnia illa phantasiæ visa, jam tamquam meras rerum olim sensarum imagines, jam tamquam species ab illarum indole valde abluentes mentem jam volentem, jam invitam subire; hancque illis jam æquo, jam valde commoto animo indulgere, atque jam bene consciam, jam omnino ignaram esse, sibi non res per sensus objici, sed tantum phantasiæ quibusdam vividis speciebus velut visionibus illudi,

3.)

Corporis & phantasiæ magna mutuo vis est.

§. 66. A corporis, velut animæ sensorii & motorii indole stabili & conditione variabili dependet, an phantasia sit magis vel minus facilis in reddendis suis imaginibus, an hæ vividæ vel languidæ, magis vel minus distinctæ & signatæ sint, an consilio & concinne, vel temere & sine ordine consequantur. Hæ enim omnia temperamenti, ætatis, climatis, alimentorum, valetudinis rationem sequuntur, in quibus magna est sanguinis atque roboris & irritabilitatis in systemate nervoso diversitas.

§. 67. Nec minorem esse fortiorum phantasiæ imaginum in corpus potentiam, nimirum phantasiam in vitæ organa agere, illius vi tremorem, vomitum, convulsio-

fiones, deliquia, deliria, apoplexiam effici, morbos corporis partim directe, partim indirecte excitari, & medicamentorum vim perverti; sed phantasiam etiam salutarem vim habere in functiones vitales, atque tum indirecte tum directe morborum curationem promovere, innumera præsertim medicorum observata docent.

III.

Imaginationis momentum, virtutes & perficiendæ ratio.

§. 68. Cum experientia teste magna sit phantasiæ vis ad ingenium animumque cum perficiendum, tum corrumpendum, necesse est, non tantum hujus rei causas, sed etiam varias, quæ in phantasiam cadunt, perfectiones, modumque, quo eas phantasiæ conciliemus, univèrse cognoscere.

1.)

Vis phantasiæ ad mentis & animi vel perfectionem vel depravationem.

§. 69. Phantasia per leges, secundum quas objectorum affinium & contrariorum repræsentationes se mutuo instaurant, ingenio comparationes & oppositiones instituendi, atque ita metaphoras, allegorias, similitudines & antitheses, fabulas aliaque artificia, quæ ab elegantia nomen habent, inveniendi occasionem & materiam præbet; hoc modo vero efficit, ut non solum res veræ, bonæ & præstantes, sed etiam falsæ, malæ & vanæ illustribus ac vividis, sive suavis, sive horridis veris vel fallacibus ima-

ima-

imaginibus comprehendantur, qua ratione animum facilius commoveant, et fortius teneant, eumque vel serenum et placidum, vel morosum et concitatum, atque ad omnem vitam vel jucunde et æquabiliter, vel fastidiose et mobiliter degendam pronum reddant.

2.)

Virtutes seu perfectiones phantasiae.

§. 70. Sed phantasia, quæ ad inveniendi et excogitandi solertiam, et ad rerum similitudines et discrepantias celeriter animadvertendas valeat, virtutibus seu perfectionibus quibusdam excellere necesse est, quo maxime ejus promptitudinem, fœcunditatem, originalitatem, vividitatem et concinnitatem pertinere ingeniorum exempla docent, quæ inventis præclaris, et acute ac jocosè dictis inclaruerunt. *Promptam* vocamus *imaginationem*, quæ data occasione facile et ad fines propositos accomodatas imagines profert; *amplitudinem*, *fœcunditatem* et *originalitatem* ejus æstimamus a multitudine, aptitudine, excellentia ac novitate imaginum, quas effingit; *vivacitas* ejus posita est in imaginum luce, ac vi ad animum commovendum; *ordo* denique *seu concinnitas* imaginationis consistit in ejus habilitate imagines ita concipiendi et copulandi, ut eæ et in suis partibus, et invicem secundum aliquem conceptum intellectus tamquam regulam consentiant.

3.)

Modi phantasiae perficiendi.

§. 71. Qui ingeniis et animis juvenam ad veritatis bonique studium formandis operam dant partim cautionibus,

nibus, partim exercitiis eam imaginationi juvenili consuetudinem et conformationem impertiri studeant, ne ea feriis occupationibus, ne veritatis et virtutis reverentia et studio obsit sed potius profuit. Quare juvenum mentes rerum excellentium imaginibus imbuant, atque omnes occasiones removeant, quibus afferri sensibus et phantasiae irritamenta malorum possint. Deinde vero alumnos suos assuefaciant, ut cum interest, eorum, quæ solerti observatione perceperunt, accuratas descriptiones, relationes et comparationes instituant.

CAPUT ALTERUM.

De intellectualitate mentis seu de facultate cognoscendi superiore.

PROOEMIUM.

1.)

Intelligentiæ et cognitionis propriæ dictæ notio et veritas.

§. 72. Mens humana non solum eorum, quæ sub sensus cadunt, præsentium vel absentium intuitionibus, imaginibus, harumque consociationibus potitur, verum etiam rerum *necessarios characteres et nexus*, i. e. earum essentias et proprietates, atque rationes et consuetudines sibi repræsentat, seu *cogitat et intelligit*, quod per conceptus, judicia et ratiocinia peragitur. Quare præter *sensualitatem*, i. e. præter intuitionum facultates, quæ tantum cognitionum aliquam materiam suppeditant, etiam *intellectualitate*, i. e. conceptuum, judiciorum et ratiocinio-

ciniorum facultatibus pollet, quibus rerum intelligentia, et objectorum cum sensibilibus tum intelligibilibus cognitio efficitur.

2.)

Muneris et facultatis intelligendi universæ partes.

§. 73. Intelligendi et cognoscendi munus, si omnem ejus vim spectes, triplicis generis operationibus absolvitur, *primum* illis, quæ menti ab intuendo ad intelligendum viam parant, *deinde* istis, quibus intelligentia et cognitio humana omnis proxime peragitur, *denique* his, quæ in plurimum ex prioribus conjunctione consistunt. Ex quo consequitur ad mentis intellectualitatem, seu intellectum sensualitati oppositum duplicis generis facultates pertinere, quarum aliæ *simplices*, aliæ *complexæ* sunt.

SECTIO PRIMA

De facultatibus intelligendi simplicibus.

§. 74. Intelligendi facultas et munus duplicis generis dotes et operationes complectitur *primum* illas, quæ ad cogitandum et intelligendum viam muniunt, *tum istas*, quibus ipsum cogitandi et intelligendi munus in conceptibus, judiciis et ratiocinationibus positum peragitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De facultatibus et operationibus, per quas mens ad cogitandum et intelligendum progreditur.

§. 75. Mens singularibus per sensus et phantasiâ inbuta repræsentationibus non illico et immediate uni-

versales repræsentationes seu *conceptus et regulas* ex intuitibus suis profert, per quas rerum characteres et genera constituat et intelligat, atque eorum connexiones et principia eruat et perspiciat; verum opus est, ut ad illam per sensus assumptam, et per phantasiam varie consociatam visorum suppellectilem, attentionis et considerationis, deinde comparationis et abstractionis, denique reproductionis et recognitionis pristinarum repræsentationum operationes accedant, quo conceptus et regulæ in mente efflorescant, sine quibus iudicia et ratiocinationes esse nequeunt,

I.

Attendendi et considerandi facultates.

1.)

Attentionis et considerationis definitio et momentum.

§. 76. Hoc menti humanæ proprium est, ut non tantum impressionum vi, sed etiam sponte et consilio in quædam visa, per sensus et phantasiam oblata, conscientiam suam dirigat et intendat, in quo posita *attentio, observatio et notatio naturæ*, a qua omnis visorum lux et discretio proficiscitur. Quæ cum ad objecti alieque partes, qualitates et adjuncta sensim paulatimque confertur *consideratio*, vulgo *reflexio* dicitur, rerumque repræsentationes distinctas et profundas efficit, sine quò mens intelligentiæ et rationis suæ vim connectentem et inferentem i. e. *concupientem, assumentem et concludentem* proferre non posset,

2.)

Attentionis perfectiones, causæ et ejus perficienda ratio.

§. 77. *Attentio et reflexio maxime extensionis, intensiois, protensionis et firmitatis virtutibus varia ratione se mutuo restringentibus æstimatur. Atque uti perceptionibus sensuum valde claris, imaginibus phantasiæ valde vividis, commotionibus animi vehementibus et corporis quibusdam statibus proxime impeditur, ita juvatur et alitur remotis sensuum, phantasiæ et animi agitationibus; exercitatione vero, et præparatione adeo augetur, et in voluntatis potestatem redigitur, ut ubique pro objectorum ratione satis intendi, extendi et protendi possit, neque impedimentorum interventu statim debilitetur et interpelletur.*

II.

Comparandi et abstrahendi facultates.

1.)

Objectorum comparatio mentis ingenium, acumen et subtilitatem innuens.

§. 78. *Rerum observatione et consideratione, quarum repræsentationes claræ et distinctæ efficiuntur, perfecta jam illarum comparatio instituitur, qua objectorum notæ communes et propriæ, adeoque eorum similitudines ac analogiæ et differentiæ, ac disparitates innotescunt; hocque modo ea vel uniuntur, vel disjunguntur, in quibus functionibus mentis ingenium, acumen et subtilitas cernitur, quæ dotes eo præstantiores sunt, quo magis reconditæ, improvisæ et amœnæ rerum convenientiæ vel discrepantiæ et formæ proferuntur.*

2.)

Comparationem abstractio excipit, quæ non est in sola attentionis aversione posita.

§. 79. Mens objecta considerata comparans, jam eorum identitatis, jam diversitatis, i. e. jam notarum pluribus communium, jam singulis propriarum magis conscia evadit, quorum primum rebus subtiliter classificandis, alterum vero solum distinguendis inservit. Cum vero mens hoc præstat, ut plurimum quæ conjuncta sunt, discretas (disjunctas) repræsentationes habeat, *abstrahere*, et *abstractas* eorum *repræsentationes* habere dicitur. *Abstractio* itaque sine consideratione et comparatione, quæ per se tantum concretas repræsentationes præbent, esse nequit, neque in sola *attentionis* ab altero plurium junctorum *aversione* posita esse, adeoque merus defectus videri potest.

3.)

Abstractionis species. Repræsentationes abstractas figendi ratio.

§. 80. *Abstractio* vel est *simplex* vel *universalis*, porro vel *inferior* vel *superior*. Ne repræsentationes determinationum abstractæ in mente deficient et deleantur, necesse est, eas signis et maxime vocabulis subicere seu *figere*; hoc modo eæ in potestatem mentis rediguntur, ut etiam sine objectorum præsentia claræ esse, atque superioribus comparationibus et abstractionibus, atque crebrioribus applicationibus seu assumptionibus inservire possint.

III.

Facultas recordandi et reminiscendi, seu
memoria.

1.)

*Memoria, an in representationum sopitarum suscitatione
posita sit?*

§. 81. Ad mentis conscientiam sæpe ea denuo adduci constat, quorum illa jam alias sibi conscia fuit; conscientia ejusmodi *agnitio* seu *recognitio* dicitur, et memoriæ tribuitur. An repræsentationes, quas mens recognoscit, sint pristinae, quæ antea in mente involutæ, sopitæ atque hoc sensu in ea conservatæ latuissent, nunc autem ex ejus fundo excitatæ, profiliant et ad conscientiam adducantur; an vero ejusmodi repræsentationes potius solum repetitæ, uti soni i. e. denuo productæ, sed pristinis prorsus similes sint, nemini per conscientiam ipsam constare potest. Hypothesibus de repræsentationum pristinarum in mente conservatione et instauratione, atque de animæ post mortem sui corporis memoria, difficilibus et plane periculosis supersedere liceret, si *memoria* nihil esset, nisi facultas efficiendi repræsentamina rerum pristinis similia, eaque recognoscendi.

2.)

Reminiscentiæ a mera recordatione discrimen. Retentio repræsentationum in mente, quid? Perfectiones et usus memoriæ.

§. 82. Repræsentationes vel pro lubitu et consulto, vel præter intentionem, naturæ vi, juxta leges earum adfociationis a mente repetuntur et recognoscuntur, in illo *reminiscentiæ*, in altero *recordatio* posita est. Percep-

ceptionibus rerum earumque repetitionibus nascuntur et confirmantur *dispositiones* ad eas facilius repetendas, in quo earum *retentio* consistit; sine repetitione et recognitione repræsentationum nulla rerum similitudinis et unitatis cognitio, adeoque nulli conceptus et regulæ, sine quibus judicia et ratiocinã, et doctrinæ esse nequunt, nec experientia et solertia ulla locum haberet. Quo facilius in mente dispositio ad repetendas et recognoscendas repræsentationes habitas nascitur, et quo pertinacius hæret, deinde quo promptius et accuratius ejus ope repræsentationes repetuntur; eo perfectior est *hoc quadruplici nomine* mentis memoria, quæ virtutes se varia sæpe ratione in diversis hominibus et ætatibus restringunt.

3.)

Memoriæ causæ, ejusque perficiendæ modi.

§. 83. Pendet memoriæ præstantia et magnitudo in singulis hominibus a nativa ipsorum habilitate, maxime vero ab actuum percipiendi vividitate, intensione, ordine et frequentia, seu iteratione crebra, et a quibusdam artificiis; inde est, cur *memoriæ præstantia*, alia *naturalis*, alia *acquisita*, alia *artificialis* dicatur; celebratam veterum *artem mnemonicam* noster conspectuum tabellarium usus longe superat. Historia cum vetus, tum recentior viros memoriæ stupendæ prodidit, quos simul excellenti ingenio præditos fuisse, constat; quare falsum est, memoriæ bonitatem et ingenii præstantiam sibi mutuo officere. Bonæ et amplæ memoriæ, cujus maximus est usus, tum in vitæ negotiis, tum in litterarum studiis, maxima laus fuit apud Græcos et Romanos, apud quos *Mnemofyne* musarum mater, et bona memoria ingenii præclari indicium habita est.

ARTICULUS ALTER.

De primariis intelligendi facultatibus et operationibus.

§. 84. Ipsum cogitandi et intelligendi munus triplici functione peragitur, *nimirum conceptibus et regulis*, quarum primæ comparatione et abstractione in mente efformantur, *deinde iudicio*, i. e. assumptionibus sub illas notiones et regulas, quarum supremæ categoriæ et principia rationis vocantur, *denique complexionibus seu conclusionibus*, quæ ex regulis assumptionum ope existunt.

§. 85. Inde consequitur, cogitandi vim tres facultates complecti, *nimirum intellectum stricto sensu, iudicium et rationem*; atque his summis legibus adstrictam esse, ut nihil sine omni, nihilque cum tali nota, quæ alteri, qua præditum sit, repugnet, concipere, nihil sine idoneo, quod necessitatem imponat, fundamento et argumento, aut tali fundamento adversum prædicare, i. e. affirmare aut negari possit.

I.

Intellectus sensu stricto.

1.)

Intellectus functio, huius lex et conditio.

§. 86. Menti *intellectus, sensu stricto*, tribuitur propterea, quod ea conceptibus et regulis potitur, adeoque facultate ad eas efformandas tendente prædita est. Sunt vero *conceptus et regulæ repræsentationes communis plurium subjectorum indolis*, et plurium mutationum *conditionis*; nequit nimirum mens humana objecta sensibus oc-
cur-

currentia, et omnino determinata cum omnibus suis determinationibus et adjunctis sibi repræsentare. Inde est, cur in ea principio nascantur repræsentationes *indefinitæ identitatis* rerum, et *necessitatis* mutationum, quarum comprehensio et extensio vero sensim magis figuratur. Hæ repræsentationes dicuntur conceptus, notiones, regulæ, quia per eas res uniuntur, agnoscuntur et explicantur, suntque vicariæ multarum rerum in mente, quarum nimirum communem indolem et conditionem exhibent. Ne notiones, tamquam debiliores repræsentationes, per sensationes, tamquam fortiores, obscurentur aut plane deleantur, cavetur per illarum cum signis arbitrariis, maxime vocabulis, conjunctionem, quæ propterea *termini* vocantur. Conceptuum materia repræsentationibus earum rerum inest, quos illi tamquam repræsentationes superiores sub se continent; quare quidquid conceptui, quem universalem dicere *tautologia* est, necessario convenit, vel repugnat, id etiam ejus inferioribus repræsentationibus, horumque objectis convenire vel repugnari debet, sed non vice versa.

2.)

Notionum in mente genesis. Intellectus virtutes primariæ:

§. 87. Nulli conceptus menti *nativi* videri possunt, omnes enim ab ea *acquisti* sunt; prima eorum in mente genesis est naturalis, et naturæ vi sine illius consilio peragitur. Quamprimum homines cogitare et intelligere incipiunt, quod longe prius evenit, quam cogitandi munus exploratum perspectumque habent, conceptibus præditi esse debent, sine quibus nihil cogitari et intelligi potest. Conceptus et regulæ *repræsentationes singulares* requirunt, e quibus vel tamquam e materia, vel tamquam

e principio suo, abstractionis vel ratiocinationis auxilio, aut naturæ vi, aut consilii ductu eruuntur. Quare omnes conceptus spectata materia sunt vel *empirici*, qui rerum sub sensus cadentium similitudinem exhibent, vel *puri*, qui nihil ejusmodi referunt; hi vel intellectus, vel rationis conceptus sunt. *Priores* etiam de rebus sub sensus cadentibus uti conceptus causæ, *posteriores* vero de nulla ejusmodi re prædicari possunt, uti conceptus de absoluto. *Perfectiones intellectus* tres sunt præcipue nimirum ejus *acumen*, *subtilitas* et *rectitudo*; quo nimirum communiores rerum notas, quo melius ordinatas mente conceptas tenemus, quo plures veros et adæquatos de rebus conceptus fovemus, eo acutiore, subtiliore et rectiore intellectu pollemus.

3.)

An intellectus formas quosdam omnium, quæ sub cognitionem cadant, contineat?

§. 88. In judicio, sine quo nulla cognitio esse potest, aliquid in conceptu, vel sub conceptu aliquo *immediate* contineri, vel ab eo excludi, nobis repræsentamus; *judicii* vero *quatuor* sunt *momenta interna*, nempe *quantitas*, *qualitas*, *relatio*, *modalitas*. Kantius docet, *quantitatem judiciorum* unitatis, pluralitatis et omnitudinis; *qualitatem* realitatis, negationis et limitationis; *relationem* substantiæ, causæ et commercii; denique *modalitatem* possibilitatis, existentia et necessitatis conceptus, quos *categorias* atque in mente *a priori* oriri dicit, prærequirere, hisque tamquam nativis ejus formis et legibus res sub sensus cadentes se conformare debere, ut earum *cognitio* in mente existat: Sed *ex natura intellectus*, tamquam *facultatis cogitandi*, nullas alias leges eruere licet, quam
has:

has: *Quod sine omni nota, vel cum tali, quæ alteri repugnet, nota, nullus conceptus esse, quodque sine omni, quod necessitatem addat, momento nihil affirmari aut negari possit, quæ sunt etiam rerum ipsarum leges.* Categoriæ non sunt meræ cogitandi formæ, verum ejus supremam materiam i. e. *universalissimas* omnium cogitabilium et cognoscibilium *determinationes* constituunt.

II.

Judicii facultas.

1.)

Facultatis hujus definitio. An judicandi sollertia ab institutione duci possit?

§. 89. Mens conceptibus et regulis imbuta *res occurrentes* sub illas assumere i. e. *harum repræsentationes* vel tamquam *partiales*, vel tamquam *inferiores*, ad conceptuum suorum vel comprehensionem vel extensionem pertinentes vel non pertinentes sibi repræsentare seu *judicare* incipit; quare etiam judicii facultas in cogitandi vi continetur, quæ ab intelligentia non secus ac principium ab assumptione differt, atque *cognitiones proprie dictas* efficit. Cum ratio aliquid sub conceptus certos vel regulas assumendi alia esse nequeat, quam *conscientia identitatis* inter id, quod *subjicitur* et illud quod *prædicatur*, intelligitur judicandi sollertiam a *sola institutione* duci non posse.

2.)

Judicandi facultatis leges et virtutes primariæ.

§. 90. Cum in infimis quibusvis rerum repræsentationibus *superiores* usque ad *supremas*, sub his vero *inferio-*

feriores usque ad infimas gradatim quoad comprehensionem contineantur; intelligitur, omnia quæ sub cognitionem humanam cadant, ad conceptus aliquos, velut ad harum comprehensionem vel extensionem pertinentia referri, atque sub illos, cum sunt a singularibus et inferioribus, tamquam a sua materia, sensim cogitatione abstracti, aut plane jam vocabulis seu terminis inclusi, vi iudicii assumi posse. Facultatis iudicandi tres sunt, uti intelligentiæ, virtutes primariæ, aciei, subtilitatis et maturitatis nomine venientes; quo enim magis occultas, fecundas, essentielles et veras rerum convenientias vel discrepantias mens pernoſcit, eo limatiore iudicio prædita est.

3.)

An conceptus reflexionis, quos Kantius vocat, sint a priori in mente?

§. 91. In iudiciis mens humana has regulas sequitur, ut cognita ope comparationis et reflexionis *repræsentationum*, quæ subjecti et prædicati vim habeant, identitate vel diversitate, consensione vel pugna, alterius in altera inhærentia, vel ab altera dependentia, alterius per alteram vel tantum possibili, vel jam actuali determinatione jungantur, vel disjungantur. Kantius propterea *identitatis* et *diversitatis*, deinde *consensionis* et *pugnæ*, porro *nexus interni* et *externi*, denique *materiæ* et *formæ* octo conceptus a reflexione, quæ eos prærequirit, *reflexionis conceptus* appellat, atque *in mente a priori adesse* debere docet, ut mens illas octo repræsentationum *relationes* videre possit.

§. 92. Eadem vocantur, quæ communes; *diversa*, quæ proprias notas habent; *consentire* dicuntur, quorum alterum sine altero; *pugnare*, quorum alterum cum altero

confistere nequit. *Interne connexa* sunt, quorum alterum ad alterius essentiam vel naturam, sive tamquam pars ad totum, sive tamquam confectarium ad suam rationem pertinet; *externe* illa *connexa* sunt, quæ sunt nexu causali, vel finali, vel utroque devincta. *Materiam* denique objecti ejus determinabilitas, seu notæ communes, *formam* vero ipsa ejus actualis determinatio seu notæ propriæ constituunt, quorum materiam non a rebus ipsis, verum ex mentis solum intestinis duci nulla ratione persuaderi potest, nisi *mentem humanam* omnium, quæ sub ejus cognitionem cadant, effectricem dicere velis.

III.

Rationis facultas.

1.)

Rationis functio, notio et lex suprema.

§. 93. Mens humana per intelligentiæ suæ vim rerum characteres et conditiones concipit, atque hos conceptus vocabulorum (terminorum) ope informatos tenet; per judicii facultatem vero eas repræsentaminum suorum habitudines cernit, propter quas alia immediate in aliis vel sub aliis contineri, vel ab iis excludi cogitat i. e. judicat, asserit, pronunciat. At cum præterea eas judiciorum, et effatorum suorum habitudines detegit, propter quas alia aliorum, tamquam rationum suarum, confectaria esse, seu *ex iis consequi* perspicit; alia eam præterea facultate præditam esse necesse est, per quam principiorum et judiciorum suorum nexum perspicere, adeoque aliud ex alio arguere, inferre, colligere, concludere i. e. *rationari* valet. Hæc mentis humanæ vis, ab intelligentiæ et judicii facultatibus diversa, *ratio strictius seu proprio*
di-

dicatur, atque in functione sua huic supremæ legi sub-
 jecta est, ut quod cum principii seu regulæ parte una
 (subjecto aut prædicato) tamquam ejus positiva vel negativa
 nota aut conditio, *immediate* conjunctum esse cernit, id
 etiam cum altera ipsius parte *mediate* conjunctum esse
 colligat; nota, aut conditio prædicati est etiam nota
 aut conditio ejus subjecti.

2.)

*Ejus perfectiones, et a sensu seu intelligentia communi
 discrimen.*

§. 94. Mens humana rationis suæ virtute varium re-
 rum nexum perspicit, qui vel *logicus*, vel *dynamicus*,
 vel *teleologicus* est, atque propterea jam a *soliditate* et *pro-
 funditate*, jam a *consilio* et *sagacitate* laudatur, prout
 eorum, quæ sunt et eveniunt, *solerter* vel principia et cau-
 sas antecedentes *exquirat*, vel consecutaria, effectus et exi-
 tus *prospicit*. Naturali rationis sagacitate, qua mens *ex
 præterito* et *præsente*, causas futuri *involve*nt et *evolvente*,
 res futuras arguere valet, *omnis naturalis* hominum *præ-
 sagitio* et *prævisio* peragitur; inde est, cur multa experti,
 in causis explorandis versati, naturæ ordinis et cursus in-
 telligentes, ac præsentis rerum conditioni satis intenti aliis
 majore sagacitate polleant. Mens humana, uti aliarum re-
 rum, ita etiam veri recti et pulchri characteres longe
 prius obscure *in concreto* perceptos tenet, atque recte
 adhibet, quam eos perspicuis et disertis notionibus et for-
 mulis complectitur et abstrahit. In obscura et concreta
 illorum characterum cognitione *communis ille naturæ sen-
 sus*, *communis illa* hominum *intelligentia* consistit, mens-
 que varia sub illam cognitionem, tamquam obscuram nor-
 mam, recte subsumens, indeque recte concludens *mens*
 su.

sana et ratio sana dicitur, quod nomen vero sæpe ignaræ philosophiæ asyllum fuit.

3.)

An mens humana ex ratiocinationum formis ideas absoluti eruat?

§. 95. Omne ratiocinium a principio suo formatum habet, adeoque vel categoricum, vel disjunctivum, vel conditionatum est. Ex formis harum ratiocinationum, earumque legibus Kantius in mente et ratione humana *ideas* absoluti subjecti (animæ) absoluti totius (universi) et absolutæ causæ (auctoris universi) efflorescere, adeoque *conceptus mere formales* esse contendit, quibus ratio humana ad absolutionem cognitionis aspirans acquiescat. At cum idea absoluti alicujus esse nequeat sine idea alicujus relativi, tamquam prioris correlati; ideas absoluti in mente non ex formis et legibus ratiocinationum categoricarum, disjunctivarum et hypotheticarum, verum ex cognitione ejus, quod relativum est, enasci consequitur: cumque conceptus de quadruplici relativo nimirum *de extensione* corporum, *de conscientia* naturarum, sensu et intelligentia præditarum, *de totis relativis*, uti sunt corpora mundi, denique *de contingentia et ordine, ac perfectione* hujus universi non sint mere formales, verum *reales*; etiam conceptus de quadruplici absoluto nimirum *de absolutis elementis*, quæ sint ejus, quod corporeum est, constitutiva intima et primitiva, *de absolutis subjectis* conscientiæ seu de spiritibus, *de absoluto toto* seu universo, et *de absoluta omnium causa*, seu auctore universi mere formales esse nequeunt.

S E C T I O A L T E R A

De facultatibus intelligendi complexis.

§. 96. Omnis humana cognitio et scientia conceptuum et regularum effectione ac usu continetur, quas mens ope consociationum et signorum maxime vocabulorum informatos tenet, instaurat et adhibet; quare ideas adsociandi, atque signis subjiciendi et notandi virtutes *ad complexas intelligendi facultates* pertinent, cumque cogitandi et cognoscendi munus in mente continenter alant et maxime regant, præcipuam in Dianoiologia attentionem merentur.

A R T I C U L U S P R I M U S.

De facultate mentis ideas mutuo adsociandi.

§. 97. Cum illius idearum conjunctionis, vi cujus mutuo se instaurant, multiplex sit efficientia in omni mentis et animi historia; harum explorator illius idearum conjunctionis, quam earum consociationem et adsociationem vocant, vim, adeoque ejus naturam, leges et effectus exploratos habere debet.

I.

Adsociationis idearum notio et causa.

§. 98. Experientia docet, ad præsentēs in mente ideas redire quasdam ex pristinis, præter et sæpe etiam contra voluntatem; in qua involuntaria idearum aliarum, præsentibus aliis, in mente recursione *illarum adsociatio* posita est.

§. 99. Quamquam autem rem obiter consideranti suscitatio pristinarum idearum per præsentis *fortuitè plane et exlex* videri possit, adfociationis idearum phænomena accuratius observanti illico innotescit, ea naturæ legibus adstricta esse.

§. 100. Nimirum ideæ quæcunque ad mentem recurrunt, vel propterea, quod cum præsentibus alias simul haustæ sint, vel quod earum objecta cum objectis præsentium potiore aliquam similitudinem habeant; quæ naturæ facta cum ex aliis notionibus explicari nequeant, præ primitivis phantasiæ et memoriæ legibus habendæ sunt.

II.

Legum adfociationis idearum singularum expositio.

§. 101. Mens adfociationis idearum phænomena perlustrans et comparans, *quatuor idearum relationes*, quarum vi velut *naturæ lege* efficitur, ut aliis præsentibus aliæ ad mentem redeant, earumque duas *primarias*, ceteras vero *derivativas* esse detegit.

1.)

Lex coexistentiæ idearum, ejusque effectus in mente.

§. 102. Omnium primam et maxime patentem ac efficacissimam idearum in mente conjunctionem efficit illarum pristina coexistentia, quod infantum, tum nominum et habituum ac consuetudinum exempla docent; nimirum *ideæ, quas vel casu vel studio aliquando simul habuimus, postea mutuo se restaurans.*

Ab hac idearum coexistentiæ lege dependet *non modo* cur *primo* rerum, earumque affectionum et partium, *deinde* factorum et eventuum, eorumque adjunctorum, *denique* signorum quorumcunque, eorumque significatum ideas mutuo excitemus; *verum etiam*, cur *præterea* pro prognosticis aliorum habeamus, quæ non sunt, *porro* cur vitia etiam imitemur et laudemus, *denique* cur res innocuas perhorrescamus.

II.)

Lex similitudinis seu affinitatis idearum, ejusque effectus in mente.

§. 103. Altera primaria idearum in mente conjunctio, propter quam mutuo se in ipsa instaurant, in ipsarum objectiva similitudine consistit; *nimirum ideæ objectorum similium, analogorum, aut solum homonymorum se mutuo in mente suscitant.*

Huic adfociationis idearum legi mens *primo* casuum similium memoriam et expectationem, *deinde* notionum et regularum empiricarum affectionem atque usum, *denique* metaphorarum, allegoriarum, similitudinum, allusionum et nominationum inventionem ac vim debet; sed ab hac etiam lege sinistra multa dependent, *nimirum primo* rerum similium confusio, *deinde* argutiæ inanes, quas male ingeniosi et faceti captant, *denique* rerum quarundam prædilectio et præaversio, quam etiam sympathiam et antipathiam appellant.

III.)

Successionis et conjunctionis dissimilium (contrarietatis) leges, earumque effecta.

§. 104. *Præterea ideæ, quæ aliquando certo ordine in mente sibi successerunt, et quæ res extremas, vel valde di-*

serpentes indicant, etiam mutuo se excitare solent, quod recitationum et narrationum, atque ironiarum et antithesium exempla confirmant.

§. 105. Cum vero idearum successivarum proximæ quæque simul in mente existant, contrariorum autem repræsentationes alias vel simul, vel altera post alteram mentem subeant, atque velut membra disjunctionis sub eodem communi conceptu contineantur, has duas leges prioribus duabus velut primariis secundarias subesse elucet.

§. 106. *Successionis legi* varios habitus ex crebra idearum et actionum repetitione existentes, atque memoriam maxime illam, quam verbalem et localem vocant; *legi contrarietatis* vero ironiarum, hypothesium, antithesium, definitionum et divisionum inventionem sæpe debemus.

III.

Adfociationis idearum gradus et consuetudina quædam præcipua.

§. 107. Quamquam omnes cujuscunque hominis ideæ secundum has leges consociatæ, adeoque habiles sint, ut et alias excitent, et ab aliis excitentur, varios tamen esse hujus habilitatis gradus experientia docet; nimirum quo magis sunt familiares, aut vegetæ et vigentes, quo magis præsentis mentis animive conditioni finive hominis, aut similes aut accommodatæ, aut adversæ ideæ pristinæ, eo facilius et frequentius recurrunt.

§. 108. Ex adfociatione idearum etiam intelligi et explicari potest, *cur* hominibus naturale sit in colloquiis vel sermonibus suis, ad se suaque transitum facere; *cur* idem objectum tam diversas cogitationes et animi motus

in variis, vel etiam in eodem homine diversis temporibus excitet; *cur* denique *alii* sine finium et regularum ductu multa præclare exsequantur, *aliis* vero idearum copia et ad meditandum pronitas impedimento sint, quo minus res vulgo faciles dextre præsent,

ARTICULUS ALTER.

De Facultate mentis ideas signis subjiciendi.

§. 109. Inter præclara multa, quæ idearum adfociationi accepta referimus signorum arbitrariorum usus, adeoque sermo et scriptura præcipue eminent, quarum rerum in excolenda et perficienda mente maxima utique vis est.

I.

Linguae in colendo et perficiendo intellectu vis.

§. 110. Nimirum adfociationis idearum ope efficiamus, ut res quædam sub sensus cadentes, præter sui ideas, aliarum etiam rerum repræsentationes excitent, adeoque *signorum* vim assumant et referant; in specie vero, ut sonis articulatis, primum pronunciatis, deinde vero etiam scriptis, velut optimis cogitationum signis, adeoque sermone et scriptura uti possimus; quare ad quantam perfectionem ingenium et cognitio humana assurgere possint, vix dici potest. *Cognitio*, quæ signis illis immediatis aut mediatis nititur, *symbolica* et *discursiva* appellatur opposita *intuitiva*, cum ipsas res, vel sensus, vel phantasiæ ope intuemur.

Signa, quibus homines mentis repræsentamina et animi sensa manifestant, sunt vel *naturalia*, quo vultus

gestus et soni inarticulati, variorum animi motuum indices, comites et propagatores, pertinent, unde *linguæ vultuum et gestuum seu mimica* affectuum domina existit; vel *arbitraria*, quo figuræ et imagines adeoque *lingua imaginum* quam dicunt et vocabula i. e. soni articulati vivæ vel scriptæ vocis, adeoque oratio et scriptura, *illæ* intelligentiæ *effectrices*, referuntur. Signorum arbitrariorum ministerio repræsentationes quovis, velut ope clavorum *figuratur*, ne vel plane excidant, vel temere oberrent, vel male commisceantur, sed potius in mentis potestatem redactæ *partim* facile reproducantur et comparatæ uniantur, atque ita intellectui et rationi materiam et argumenta præbeant, *partim* facile aliis communicentur, atque hoc modo cognitio humana incrementa capiat, et rerum memoria conservetur.

II.

Vocis articulatæ lingua proxime ad ideam linguæ absolutioris accedit.

§. III. Ad ingenii usum et perfectionem, atque ad cognitionis præstantiam, conservationem et cum aliis communicationem lingua opus esse dubium videri nequit, quæ quatenus his consiliis inservit, *logice* ut ajunt *perfecta*, atque eo perfectior est, quo magis est ad illos fines promovendos accomodata. Nullam ex iis, quæ existant linguis omnibus numeris absolutam esse, ex iis tamen, quas natura humana fert, cogitationes per signa exprimendi formis, linguam vocis articulatæ sive vivæ sive scriptæ maxime ad linguæ absolutæ seu logice perfectæ ideam accedere, facile perspicitur et conceditur,

§. 112. Nimirum lingua, quæ sit logice perfecta pro omnium, quæ in cognitionem cadant, rerum generibus terminos continere, horumque novas derivationes, compositiones et flexiones admittere, neque intellectus emendationi ac progressui obstare; adeoque *universè* copiosa, sæcunda, ac perfectibilis ut ajunt, *in specie vero* characteristicam, quæ cogitata perfecte notet, atque facilis ac simplex esse debet, ut adeo omnis ejus pars aliquam et quidem stabilem, perspicuam et finitam ac præcisam vim habeat, ut ejus signa facile proferri et intelligi possint, eorumque derivationes et flexiones (etymologia) ac conjunctiones (syntaxis) leges quam fieri potest paucissimas sequantur.

§. 113. Cum sermo sit facultas cogitata sua vocabulis insigniendi, uti intellectus est facultas cogitata efficiendi; consequitur, orationem omnem non minus quibusdam summis vocabulorum generibus, quas partes orationes vocant, ac generalissimis quibusdam vocabula devinciendi modis, quod syntaxim appellant, carere posse, quam intelligentiam quibusdam summis conceptibus et judiciis, scilicet categoriis et cogitandi legibus; ut adeo *primo* nomina substantiva et adjectiva, *deinde* verba activa, passiva et neutra, *denique* particulae i. e. adverbia, præpositiones et conjunctiones sint essentielles omnis orationis partes. Ex quo grammaticæ et linguæ, siqua esse possit, universalis, atque artis deciffratoriae possibilitas intelligi et explicari potest.

III.

Sermonis origo, atque ejus, cujus ope quis cogitat aliosque intelligit, in hæc ejus munera vis.

§. 114. De origine sermonis philosophos et veteres et recentiores disputasse constat. Sunt, qui sermonem hominibus divinitus potius traditum quam, ab ipsis inventum existimant, quod is intelligentiæ potius et arbitrii, quam naturæ et instinctus, adeoque hominum orationis expertium et rudium opus esse videri debeat. Attamen via et ratio satis probabilis præsto est, qua, homines omni sermonis usu destituti ac rudes, perfectis tamen auditus et loquellæ organis præditi, atque in consortio aliorum positi a naturalibus illis vehementiorum animi motuum, atque vividarum phantasiæ conceptionum in voces eruptionibus *primum* ad rudem aliquam logomimicam et characteres hieroglyphicos, *paulatim vero* ad eam cogitata notandi rationem pervenire possent, quæ sonis articulatis seu *vocalibus et scriptura alphabetica*, quam dicunt continetur. *Inprimis* homines ipsos omnia illa, quæ admiramur, securitatis et commoditatis præsidia ista ratione invenisse et pedetentim perfecisse dubio caret; *deinde* cum res, quibus homines orationis expertes ubique cinguntur, et ipsæ etiam fortiores animi commotiones naturæ suæ vi sonos diversissimos edant, quorum maxima vis est ad attentionem, abstractionem, adassociationem, comparationem et imitationem audientium excitandam et regendam; hac re effici debuit, ut homines illos sonos æmulari, hosque tanquam objectorum notas et repræsentationum signa abhibere et intelligere inciperent, quibus *partim*
ob-

objecta ipsa, eorumque varias affectiones (nomina), *partim* mutationes et status (verba), *partim* harum omnium variam conditionem (particulæ) designarent. Cujus rei usus luculentus effecit, ut ejus et perfectioni et amplificationi perpetuo studerent, rudemque suam logomimicam ad orationis perfectionem gradatim proferrent.

§. 15. Cum homines orationis auxilio et taciti ipsi apud se cogitent, et aliorum dicta ac scripta intelligant, *logicas et grammaticas orationis virtutes ac vitia* naturali modo jam rectæ, jam pravæ cogitandi rationis, jam *causas* jam *effectus* existere facile intelligitur. Ex quo *ejus*, qua quis velut suarum cogitationum opifex, modulo et vehiculo utitur, orationis *maximam vim esse* ad magis vel minus perfectum rationis usum, atque *alianam orationem* alia *majorem vel minorem faulricem ac conciliatricem intelligentiæ esse* consequitur. Quo imperfectior sive logice sive grammaticæ est oratio aliqua, eo majora ingenii usui, emendationi et perfectioni obstacula ponit; cum *vel* nulla pro certis cogitationibus, earumque ad se invicem habitudinibus verba contineat; *vel* ejus grammatica logico cogitandi rigori et ordini adversetur; *vel* denique vocabulorum, quibus constat ambigua, inconstans significatio, aut plane falsa aut fallax etymologia varias errandi et ingenium depravandi ansas præbeat. Quare oratio præcipuam quamdam philosophi considerationem postulat, omneque, quod ei impenditur studium, facultati cognoscitivæ explorandæ impensum, atque cura emendatioque linguæ ingenio expoliendo et emendando adhibita videri debet. Hoc vero in linguæ cujusvis studio maxime spectandum est, ut ejus structuram et copias noscamus, quo construendi vitia emendemus, aptissimos terminos ubique usurpemus, deficientes vel per peregrinos, vel antiquatos vel nova ratione de-

derivatos aut compositos suppleamus, obscuros declaremus, atque opinata synonyma subtiliter distinguamus.

DIANOIOLOGIÆ

PARS ALTERA

Philosophia historiæ ingeniorum.

Ordo et momentum tractandorum.

§. 116. Quamquam omnes homines nativa cognoscendi facultate polleant, cujus familiam et œconomiam naturalem in superioribus exposuimus, eos tamen sæpe valde, quoad mentis seu ingenii cum dotes tum habitus, a se invicem differre experientia satis docet; has hominum, quoad mentem seu cognoscendi facultatem differentias, *ingeniorum humanorum discrimina* dici constat. Quare Dianoiologia, physiologiæ mentis humanæ munere jam perfuncta, nunc ingeniorum humanorum discrimina et causas aperire, eorumque scrutandorum et excolendorum rationem ac modum tradere debet; a quo munere eam *philosophiam historiæ et culturæ ingeniorum* appellare, atque in caracteristicam, ætiologiam, atque semioticam et gymnasticam, quas dicunt, dispescere licet, quarum rerum cognitionem in vita præstantissimis finibus inservire, atque ad plurimos homines pertinere facile intelligi potest.

CAPUT PRIMUM.

De diversitate ingeniorum.

§. 117. Primum *alii* sensuum et attentionis præstantia excellent, qua res in facto positas accurate notant et connectunt, quæ est observatorum laus, *alii* phantasiæ vivacitate, ubertate et concinitate præstant, quæ sunt ingeniorum venustorum, atque inventiendi et excogitandi sollertia clarorum virtutes, *alii* denique a memoriæ facilitate, amplitudine et fidelitate laudantur, cujus maxima est ad experientiam et omne linguarum ac historiæ studium vis.

§. 118. Iterum *alii* similitudines et analogias, *alii* differentias et disparitates rerum feliciter eruunt et pervident, ingeniosi propterea et subtiles dicti, *nonnulli* intelligentiæ, qua rerum characteres, et eventuum leges accurate concipiunt et detegunt, *nonnulli* iudicio, quo singula conceptibus et regulis suis subjiciunt et assignant, *nonnulli* ratione magis valent, qua jam causas solertius indagant, jam eventus sagacius prospiciunt.

§. 119. *Alii* denique in rerum singulatum et intuitivarum cognitione et tractatione, *alii* in abstractarum et intelligibilium analysi, synthesi et perscrutatione feliciter versantur, *alii* vero ad omnia mentis munera et opera eminenter habiles sunt. *Quidam*, aliorum institutione parum proficientes, suo Marte quædam et quidem plane nova et exemplaria moliuntur, *quidam*, quæ præclare cogitant, perspicue communicare nequeunt, *quidam* obscura et imperfecta aliorum cogitata facile assequuntur et explicant.

§. 120. In omni autem eruditionis, artis et studiorum genere ab observationis *amplitudine et veritate*, ab imaginationis *vigore, ubertate et concinnitate*, atque ab intelligentiæ *rectitudine et profunditate*, a judicii *subtilitate et sagacitate*, atque ab efficientiæ et operis *magnitudine, robore ac velocitate* ingeniorum et facultatum præstantia æstimatur.

CAPUT SECUNDUM.

De causis diversitatis ingeniorum.

§. 121. Cum omnium cognoscendi facultatum usus a corporis constitutione nativa et statu præsentem, quatenus est animæ domicilium et organon, tamquam ab aliqua conditione et causa dependeat, cum præterea omnes mentis vires debita exercitatione mirum in modum acui et perfici possint; omnis ingeniorum diversitatis duos fontes, adeoque omnes ejus causas vel physicas vel morales esse consequitur. A causis physicis ingeniorum habilitates, a moralibus vero eorum habitus et dexteritates dependent; ex quo facile intelligitur, an poetæ, artifices, philosophi, mathematici magis nascantur, vel studio efficiantur.

I.

Causæ physicae.

§. 122. Causæ physicae, quæ dicuntur, omnes per corpus, quoad est mentis officina et organon, adeoque qua nervorum systema continet, ingeniorum formas et habilitates definiunt, adeoque in temperamenti, climatis atque victus ratione positæ sunt.

§. 123. Et ingeniorum dotes atque defectus imprimis pro temperamenti adeoque sanguinis indole variant. *Qui* enim liquidum habent, calidum, rubentem et copiosum sanguinem, alacres sunt ad percipiendum, faciles et perspicuas habent rerum conceptiones, ingenioque ac memoria valent; *qui* autem multum flavæ bilis habent admixtam sanguini, eorum acres sunt rerum considerationes, adeoque conceptus accurati, quare acumine et iudicio excellunt; atra porro bili *quorum* sanguis abundat, ad eventus observandos, eorumque causas explorandas admodum habiles et proni sunt; denique *qui* pituitæ copia laborant, in iis sensus tardos, mentem obtusam et contentionis impatientem deprehendimus.

§. 124. Deinde ingenii qualitatem etiam climatis atque victus rationem sequi necesse est, quod jam antiquis cognitum erat, atque universarum nationum exemplis confirmatur. Duobus vero potissimum modis climatis indoles ad ingenia disponenda concurrunt; *primo* per corporis habitum, per quem, pro magis vel minus calida vel frigida, sicca vel humida, tenui vel crassa atmosphæræ ratione, ingenium ad vigorem vel languorem, ad robur vel imbecillitatem disponit; in temperati maxime cœli regionibus præclarorum ingeniorum natales et sedes esse constat: *deinde* per amœnam vel horridam, fertilem vel sterilem regionum naturam, quæ facultatibus et indigentis incolarum varia ratione excitandis, atque artibus et scientiis inveniendis occasionem et impulsionem præbet.

C a u s æ m o r a l e s.

§. 125. Sed non proferrent se nativæ ingenii habilitates utut præstantissimæ, nisi earum usus qualiscunque omnium etiam mentis habituum magister et effector accederet, id quod exempla hominum, qui extra consortium humanum, et sine institutione adoleverunt, confirmant. Est eadem ingenii, quæ corporis virtutum ratio, usu nimirum et arte efflorescunt, nec solæ nativæ ad eas contrahendas habilitates sufficiunt, nec sine his illæ comparari possunt; quare ad causas diversitatis ingeniorum morales omnia illa pertinent, quæ usum et exercitacionem facultatum mentis vel promovent, vel impediunt aut plane pervertunt; ad hæc *imprimis* pertinet *omnis educatio et institutio, cum privata, tum publica*. Natura virium ingenii evolvendarum et excolendarum ordinem ac leges constituit, quas observare et sequi æque est educatoris et magistri, quam medici meminisse, se ministrum non dominum naturæ esse; *deinde* natio, in qua quis natus et educatus est, in omni vero natione *linguæ indoles, regiminis forma, religionis ratio et mores dominantes* magnam vim in ingenia habent; *denique ætas*, qua quis vivit, quæ ferax vel inops est maguorum eventuum, bonorum exemplorum et institutorum, excitandis et alendis bonis ingenii accommodatorum, atque *fortuna conditio, casus et primorum ventaninum successus*.

§. 126. Ex his facile intelligitur; *primo* ingeniorum nativam qualitatem et magnitudinem ejus habilitatibus contineri, adeoque causis physicis niti; *deinde* in quovis homine vel populo ingenii culturæ modum et gradum, aut ejus neglectum et perversionem a causis moralibus

pendere, cum non sit ea habitatum nativarum ratio, ut necessario efflorescant, et in regulares habitus abeant, atque, ut qui iis sit aliquo in genere a natura instructus, in eo necessario ad habitum perveniat; *denique* errare *cum illos*, qui omnem ingeniorum diversitatem alterutri illarum causarum generi nimirum vel physico cum Hobesio et Huarto, vel morali cum Humio et Helvetio tribuunt, *tum etiam istos*, qui jam in ipsis animis viri et fœminæ, atque Europæi et Aethiopsis causam diversitatis ingenii primitus imesse statuunt; nam in physico illo causarum genere plures et occultiores esse possunt differentiæ, quam ut eas eruere et satis explicare psychologi valeant.

CAPUT TERTIUM.

De ratione ingenia scrutandi et excolendi.

§. 127. Cum non omnibus ingeniiis eadem semper scientiæ et exercitationes conveniant, vario respectu operæ pretium est perspectum habere, quibus indiciis bona ingenia se prodant, quibus periculationibus innotescant, quibus denique exercitationibus perficiantur et provehantur.

I.

Semiotica ingeniorum.

§. 128. Litterarum studia hoc sibi propositum habent, ut vel res in factis positæ recte observentur, vel ut causæ et leges, cur aliquid fieri necesse sit, investigentur, vel denique ut factorum et virium magnitudines harumque relationes definiantur. Quæ omnia hoc ma-
xime

xime spectant, ut ea, quæ vel natura fert, vel homines faciunt, ad genera, causas et leges revocentur, atque pro varia consilii ratione jam producantur, jam impediantur; quare ingenii humani præstantia triplici maxime nativa habilitate æstimatur, unde ingenii observatorii et historici, deinde philosophici, denique mathematici nomina nata sunt.

§. 129. Ingenio observatorio et historico pollent, qui præcipue eorum, quæ in natura fiunt, vel ab hominibus geruntur, sive propria observatione, sive aliorum relatione cognoscendorum cupiditate ducuntur, si a) hac in re non perfunctorie, sed via et ratione versentur, atque delectum, diligentiam et considerationem adhibeant, si b) non adventitias affectiones et fortuitas circumstantias, sed ea, quæ in factis horumque adjunctis sunt principalia, notent, si denique c) non unice eventuum et factorum singulorum enumeratione defungantur, sed etiam conversionum causas et continuationes ex temporum locorumque rationibus, et ex hominum ingeniis, studiis et moribus perspicere et explicare studeant.

§. 130. Qui ingenio philosophico præditi sunt, his illud studiis velut indiciis produnt: 1) rerum proprietates, causas, leges, scopos, horumque connexiones detegendi, conversiones, progressionem et exitum rerum explicandi, prospiciendi, præparandi, res majores et occultiores indagandi cupiditate tenentur; 2) objectorum similitudines et analogias exquirunt, ordini et unitati in varietate cognitionum student, fragmentariæ et rhapsodicæ earum collectionis impatientes, specialia et particularia ad generalia et universalia revocant, et ex his illa ordinant et explicant; 3) in rebus rationis auctoritati velut momento primario obsequi detrectant.

§. 131. Ingenio mathematico præditi maxime numeris et figuris tractandis, quantitatumque relationibus, proportionibus et æquationibus animadvertendis, definiendis et evolvendis oblectantur.

II.

Gymnastica ingeniorum.

§. 132. Ne juvenes adversante natura certæ doctrinæ vel arti, aut vitæ generi mancipientur, ingenii scrutinio opus est, quæ res nec difficultate nec ambiguitate sæpe caret. Plura enim ob stare possunt, quominus, quas natura attribuit, dotes egregiæ satis mature efflorescant; præterea ea sæpe est adjunctorum quorundam in mentem vis, ut, quam satis probabilibus indiciis conceperas, boni ingenii spes in tractationis progressu omnis evanescat; quare in ingenii scrutinio et judicio cautione et regulis opus est; nimirum *primo* variæ, quæ ingenium excitare possint, occasiones et periclitationes mature et opportune afferendæ; *deinde* observandum, ad quæ studia ingenium sponte sua præcipue feratur, et quarum rerum difficultate non solum non deterreatur, sed potius stimuletur, dispiciendum; *denique* quorum ingeniorum et studiorum exemplis tamquam ingenio suo affinis et accommodatis maxime delectetur et accendatur, sedulo animadvertendum est.

§. 133. Neque minori cura et cautione opus est in excolendo ingenio. Quamquam enim omnes, uti ex superioribus patet, mentis facultates usu et exercitatione debita acui et perfici possint, in ea tamen re sæpe peccari facile videas, *vel* quod ingenii vires non naturali ordine exercentur, *vel* quod exempla nec bona nec

varia satis, liberalis æmulationis causa, proponuntur, vel denique quod adminicula varia ejus, cui se primario quis addicit, studii negliguntur. Pædagogica illas empiricas sensus, phantasiæ, attentionis, comparationis, memoriæ intelligentiæ et rationis perficiendæ regulas in problemata resolvere, atque varios exercitationis modos excogitare debet, per quos perfectiones et habitus varii nascantur, quorum illæ mentis facultates capaces sunt.

Psychologia generalis et Dianoiologia Logicæ, Thelematologia vero, quæ sequitur, Philosophiæ practicæ universali tamquam Propædeutica præmitti solet.

PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ PARTICULARIS

P A R S A L T E R A,

Thelematologia seu theoria de animo
humano.

PROOEMIUM.

I.)

Animi humani ejusque naturæ notio.

§. 134. Nobis sæpe voluptatum et dolorum sensiones inesse, conscientia edocti novimus, quod tum fieri observamus, cum sumus rei jucundæ vel pulchræ, aut molestæ vel deformis sensu tacti, vel rerum utilitatis consiliorumve et actionum bonitatis (rectitudinis, honestatis) aut contrariorum cogitatione imbuti. Res, quæ sunt volup-

luptatis aut doloris effectrices, *gratas et ingratas* vocamus, easque nobis *placere vel displicere* dicimus; res ejusmodi, cum sunt remotæ adhuc, attamen jam mente conceptæ, consequi, aut declinare nitimur, i. e. *appetimus aut averfamur*. Cumque nos ipsos ad continuandas vel non continuandas oblectationes vel molestias, ad explendas vel non explendas appetitiones determinamus, *decernere, eligere, proprie velle, nolle, operari* dicimur. Quare in anima humana præter cognoscendi facultatem triplicem adhuc qualitatem discernere necesse est, *primum illam*, qua fit, ut grati et molesti sensu tangi possit, quam persentiscendi facultatem (*Gefühlsvermögen*) liceat appellare, *deinde istam*, qua, ut eorum, quæ prævidet, nonnulla eveniant vel non eveniant, efficere nititur, seu appetendi et averfandi facultatem, *denique hanc*, qua decernit, eligit et operatur, i. e. libertatem et arbitrium voluntatis. *Ad primam* propensiones, commotiones affectusque, *ad secundam* impulsus studia et passionis animi cum suis naturæ legibus et causis, *ad tertiam* mores et characteres morales hominum cum morum legibus pertinent.

2.)

Thelematologiæ notio, partes et usus.

§. 135. Animam humanam, qua est facultatum persentiscendi et appetendi subjectum et sedes, *animum* seu *pectus*, imo etiam *cor* dicimus, ejusque *naturam* in iis, quæ supra, tamquam ad illas facultates pertinentia attulimus, et suo loco afferemus, reponimus. *Thelematologia* est doctrina de natura animi humani, eaque differt ab eleutheronomia et ethica; tamquam physica animi humani *primo* omnes, quibus ejus œconomia continetur,

leges investigare; *deinde* omnium animi humani universe considerati studiorum seu impulsuum (*Triebe*) et motuum principia et causas aperire eorumque genesin ostendere; *denique* animorum humanorum discrimina præcipua horumque causas et leges afferre, adeoque animi humani Anatomia, Physiologia et Philosophia ejus historię esse debet. Ex quo insignis et multiplex Thelematonomię usus facile intelligitur; quemadmodum enim, qui regendę, emendandę et expoliendę facultatis cognoscitivę artem tradunt et exercent, omnem ejus familiam et œconomiam, i. e. ejus nativas dotes, harumque funções, leges, perfectiones et perficiendarum regulas exploratas habere debent; ita iis, quibus voluntatis regimen, correctio, cultura et perfectio proposita est, omnem animi humani naturam et œconomiam perspectam esse oportet, ut quibus adminiculis et causis recte aut prave sentiendi et agendi habitus existant et cedant, cognitum habeant,

CAPUT PRIMUM.

Anatomia animi humani,

seu

De primariis animi humani legibus et statibus.

§. 136. Omnis animi humani naturę investigatio et interpretatio ab ejus legum, motuum et statuum maxime obviorem cognitione proficisci debet, neque alia certiore via ad cognoscenda principia, causas et nexus variorum animi studiorum ejusque aberrationum progredi licet.

S E C T I O P R I M A

De legibus animi humani maxime obviis.

§. 137. Omnem animi humani historiam seu conditionem, omniumque ejus motuum, propensionum, impulsuum seu studiorum originem, differentiam et intensitatem certis legibus subesse, harumque legum cognitionem ad omnem ulteriorem ejus naturæ investigationem et explicationem requiri facile intelligitur.

I.

Legis supremæ et fundamentalis universæ animi humani historiæ expositio.

1.)

Legis hujus formula, fundamentum et vindictia.

§. 138. Ea est animi et voluntatis humanæ in omni sua historia et œconomia a cognoscendi facultate et ab iis, quas quis mente informatus tenet, rerum perceptionibus dependentia, ut nullius nisi perceptæ rei aliqua vis in eum esse possit.

Omnes animi motus, omnes ejus propensiones et instinctus, omnia voluntatis studia, omnes ejus actus ab aliqua aut clara, aut certe obscura, eaque aut primaria, aut certe adjuncta rei cujuscumque perceptione dependent; nam sine mentis perceptionibus et judiciis præviis nullæ animi modificationes, nulla voluntatis studia locum habere possunt.

Inde est, cur animi status et studia, hominumque mores ingeniorum et opinionum diversitatem et vicissitudinem sequantur; neque profecto ulla esset sine hac lege ani.

animorum scrutandorum, flectendorum et corrigendorum certa via et ratio.

2.)

Animi et voluntatis a mentis perceptionibus dependentia ejus libertatem non tollit.

§. 139. Neque propter hanc animi motuum et voluntatis decretorum a mentis perceptionibus et judiciis dependentiam, voluntas plane serva, ejusque omnis conditio automatica videri potest.

1) Proximæ animi motuum et voluntatis actuum rationes non sunt motus corporis, uti in horologio aut planta, sed mentis perceptiones; quare *spontaneitate et arbitrio, atque libertate a coactione externa* anima humana in appetendo, volendo et operando pollet.

2) Neque solis sensuum impulsione, atque eorum quæ experti sumus, uti in belluis et infantibus accidit, imaginibus harumque adfociationibus, verum etiam præviis consultationibus et rationis dictatis ad decernendum et agendum determinamur; quare non solum *sensitivo*, verum etiam *rationali arbitrio* anima humana potitur.

3) Et cum conscientia teste non solis jucundorum, utilium atque contrariorum stimulis, verum etiam eorum, quæ recta, quæ honesta et justa sunt, seu officiorum cogitationibus in agendo obsequimur, *moralis* etiam animam humanam *libertate* præditam esse sequitur.

3.)

Quæ voluntatis humane qualitas ejus libertatem et arbitrium constituat?

§. 140. Pollemus facultate, sensuum sollicitationibus et rationis jussis resistendi, at hæc resistentia ope aliorum mentis representaminum et judiciorum peragitur.

Decernimus et molimur varia, decreta porro et molimina sæpe suspendimus et plane relinquimus; at hoc sine omni, quod rationem contineat, mentis judicio evenire quis censeat, cum multa in mentis nocte posita causæ tamen obscuriorum animi motuum esse possint.

Attamen hoc certum est, voluntatem se ipsam ad obsequendum vel sensuum et phantasiæ illecebris, vel intellectus ac rationis regulis et jussis determinare; neque cum se ad alterutrum determinat, eam determinationem naturæ quadam necessitate fieri, adeoque irresistibilem esse, et nonnisi uno modo fieri posse, cuiquam videri potest. Hæc voluntatis potentia ejus *libertatem et arbitrium* constituit, *prior* facultatem aliquid intendendi et decernendi, *posterius* facultatem usum virium ceterarum determinandi denotat.

II.

Legum animi humani magis determinatarum explicatio.

§. 141. In animi humani *motibus*, i. e. oblectationibus et appetitionibus, atque *tendenciis*, i. e. propensionibus et studiis, tria velut primaria momenta spectanda sunt, nimirum eorum origo seu genesis, deinde diversitas, denique robur.

Singula hæc momenta peculiaribus legibus subsunt, quarum explicatione legis illius primitivæ et veritas magis confirmatur, et fecunditas manifesta redditur.

I.)

Leges originis motuum, propensionum et studiorum animi humani.

§. 142. Nonnisi eas repræsentationes, quæ aliquid, quod placet aut displicet, exhibent, quodque passim perfectum, bonum, aut imperfectum, malum appellari constat, animi motuum, desideriorum et studiorum causas esse, dubium videri nequit. Boni vero et contrarii quatuor sunt genera; nimirum jucundum et molestum, pulchrum et deformæ, utile et noxium, denique rectum et pravum.

1.)

Jucundorum, pulchrorum et contrariorum natura universa.

§. 143. Res externæ per sensus animæ nuncios vel materiæ suæ vi, vel formæ suæ indole placent vel displicent. Quæ res *materiæ suæ vi* sensibus gratæ vel ingratae sunt, i. e. placent vel displicent, ex *proprie jucundæ vel molestæ* dicuntur, atque *prævisæ* necessario appetitus et declinatus movent; quæ *formæ suæ indole* oculorum, aurium aut phantasiæ ministerio animo gratæ aut ingratae sunt, ea *proprie pulchra aut deformia* dicuntur, neque, qua talia, appetitum aut fugam necessario excitant.

2.)

Utilium et honestorum ac contrariorum indoles communis.

§. 144. Quæ propterea placent aut displicent, quod effectus jucundos aut molestos parere, vel impedire aut tollere, finiumque consecutioni vel prodesse vel obstare

judicentur, *utilia aut noxia* dicuntur; quæ talia sunt, ut ea animus, detracta vel adjuncta quacunque externa utilitate, rationis vi simpliciter approbare vel damnare debeat, *recta, honesta, bona, aut prava, turpia, mala moraliter talia sunt*; in quorum numero nonnisi voluntatis liberæ consilia, ab his profectæ actiones, atque hoc modo prognati mores esse possunt.

3.)

Piora quædam ex hæcenus dictis consecutaria.

§. 145. Inde elucet, animum humanum et voluntatem liberam in omnibus suis motibus, actibus et studiis, vel jucunditatis pulchritudinisve sensibus, vel utilitatis rectitudinisve moralis judiciis, velut causis et regulis, obsequi.

§. 146. Et quemadmodum objectorum quædam qualitates, ob quas placeant vel displiceant, ita etiam animi nativas quasdam affectiones, ob quas necessario gratæ vel ingratae sint, dari necesse est.

§. 147. Quare si jucundorum, pulchrorum, utilium et honestorum aliqua communis affectio esset, eaque perfectionis characterem haberet; etiam aliquam intimam animi affectionem ejus, nativorum instinctuum radicem seu fontem dari, hancque *instinctum seu studium perfectionis* esse et dici posse, consequens foret.

II.)

Leges diversitatis motuum et studiorum animi eidem objecto respondentium.

§. 148. Non omnium objectorum in omni, vel etiam in eodem animo omni tempore eandem vim esse, experi-

rientia satis confirmatur, cujus rei hæc est ratio generalis, quod res non prout in se sunt, verum prout cognoscuntur, vim habent ad animos commovendos et inclinandos.

Nimirum quamquam pluribus sæpe idem univèrse obversetur, non tamen singuli plane idem, aut in eodem nexu et eodem plane modo cognoscunt; ex quo tres esse potiores causas et leges, cur iisdem in se rebus, et eodem nomine menti propositis, non tamen iisdem in diversis animis motus, non eadem studia respondeant.

1.)

Multiplex ejusdem rei facies et aspectus.

§. 149. Primam illius diversitatis causam hanc esse, facile elucescit, quod cujusvis rei indoles et conditio sit complexa, adeoque facies et aspectus multiplex, vel virtutes et commoda, vel imperfectiones et incommoda ejus exhibens et spectans, ut adeoque cum duo cernunt idem, non sit plane idem, et plures in re eadem non semper idem aut ament aut horreant.

2.)

Adjuncta rei et idearum associatio.

§. 150. Secundam potiozem causam ab eorum, quæ rei tempore vel loco adjuncta sunt, vi repetendam esse, facile colligitur. Nimirum homines rerum variarum amore vel averfatione maxime in juventute imbuuntur propter aliarum, quæ iis fortuito adjunctæ erant, rerum aut suavitatem aut acerbicatem, et propter eam, quæ ita casu facta est, idearum utriusque consociationem.

3.)

Cognitionis ejusdem rei modus varius.

§. 151. Tertia denique causa in diverso ejusdem rei cognitionis modo posita est, nempe rerum, quæ ad animum et voluntatem referuntur, cognitio duplex est, vel mortua et otiosa, vel *viva et efficax*; cujusmodi efficitur primo cum est certa, minimeque dubia et vaga, deinde cum non generalis solum, sed intuitionis æmula, atque prompta et parata adest, denique cum mentis sententias animique commotiones et propensiones non adversas, sed adjutrices potius habet.

III.)

Leges intensiōnis motuum et studiorum animi.

§. 152. Motuum et studiorum animi vim jam majorem, jam minorem esse, experientia docet; cujus rei alia ratio generalis esse nequit, quam quod *boni aut mali sensus vel opinio jam augeatur, jam minuatur*, atque elaterum et motivorum vis per varias causas jam crescat, jam decrescat, quarum præcipue sequentes sunt,

I.)

Idearum motricium conglobatio.

§. 153. Eorum, quæ bona aut mala putantur, conglobata et repentina cum ideis sociis, in animum irruptio attentionem coarctat, ponderandi et consultandi moram aufert, oblectationum et dolorum memoriam et expectationem excitat; atque inde maxime est, cur *nova et inexpectata* animum magis commoveant, et subinde *verita, obstacula, difficultates* appetitum acuant, et *imperata declinatam* augeant.

2.)

Consuetudinis in sensum et opinionem boni vis.

§. 154. Consuetudo per eam, quam habet in corpus, mentem et idearum consociationem, vim boni et mali sensum et opinionem jam aufert, jam minuit, jam alit; consuetudine corpus, mens et animus ad concipiendas similes vel priores motiones, cogitationes et appetitiones ita informatur et propendet, ut quædam impotentia rationis et libertatis, *motui, cogitationi et appetitioni resurgenti valide resistendi* nascatur.

3.)

Statuum animi contrarietas.

§. 155. Contrariorum juxta se positorum singulorum indoles magis elucescit; inde est, *cur* contraria visu aut cogitatione percepta vim suam in animum jam augeant jam minuant, et *cur* status animi præcedentes vim contrariorum subito sequentium intendant.

SECTIO ALTERA

De statibus animi humani maxime obviis.

§. 156. Ad animi humani status singulæ sensationes gratæ et ingratae, atque singulæ appetitiones et aversiones, maxime vero ejus commotiones et affectus pertinent, quarum rerum *primo* naturam universam, *deinde* formas præcipuas, *denique* effectus earumque a passionibus animi discrimen considerabimus.

I.

De natura commotionum et affectuum animi
universe.

§. 157. Cum *animus* vehementius voluptate aut ægritudine aliqua percellitur, fortiusve appetitu aut declinatu aliquo sensitivo trahitur, *commotus* esse dicitur; quare *commotiones* animi in quacunq̄ intensiore voluptate aut ægritudine, appetitione aut averfatione positæ sunt, ut a placidis et sedatis animi affectionibus et statibus discernantur. Cum vero animi commotiones ita ingravescant, ut mentem obscurent et rationis usum impediunt, atque animum sui impotem reddant, *affectus et perturbationes animi* dicuntur.

I.)

Affectuum ab aliis animi motibus discrimen et genera
summa.

§. 158. Affectus, prout in animo se exerant, sunt ejus motus i. e. sensiones jucundæ aut molestæ, repente natæ, et adeo vehementes, ut per eas meditandi vis plane supprimatur. Omnes commotiones animi gratas et molestas nonnulli ad bonum aut malum, vel præsens vel futurum referunt, quibus alii præteritum addunt, atque voluptatis (gaudii) tædii (ægritudinis), spei et metus nominibus distinguunt; cumque gaudia, desideria, ægritudines et averfationes sensitivæ ita ingravescant et dominantur, ut ratione contineri nequeunt, lætities, cupiditates, horrores et terrores appellant. Omnes animi motus sedati et lenes non minus, quam incitati aut plane perturbati, vires mentis, animi et corporis vel erigunt

gunt, adstringunt, incitant, vel dejiciunt, resolvunt et conrundant; quare illos *sthenios*, has *asthenios* appellare licet.

II.)

Origo et interitus affectuum animi.

§. 159. Affectus oriuntur et crescunt repente, *oriuntur subito* ex repentino et conglobato sensu alicujus rei valde jucundæ aut molestæ, *crescunt subito* propter imagines bonorum aut malorum, præteritorum aut prævi-
forum, magna vi irrumpentes; quo fit, ut mens quasi constricta et attonita teneatur, vis distincte cogitandi supprimatur aut certe minuat, atque judicia, decreta et actiones præcipitentur; ad summum venit commotio animi, cum mens clarissime, sed unice et confuse id cogitat, bonum vel malum, quod affectum excitat, quo casu *contrariis ideis* animus magis irritatur et exacerbatur, sive per ratiocinii, sive per opprobrii aut objurgationis modum afferantur.

§. 160. Affectus itaque omnes oriuntur ex imaginibus vividis bonorum aut malorum præsentium aut instantium, quæ mentem totam occupant, et quasi clausam tenent. Paulatim effervesceat æstus affectuum, cum novæ ac varii generis ideæ in animum irrepunt, hocque modo tempus dolori medetur; affectus repente evanescent contrariis perceptionibus fortioribus subito in animum illatis; sic iram frangit subito improvisus viri, quem iratus metuit aut reveretur, adventus, commiserationem periculi aut securitatis propriæ cogitatio, difficultates et obstacula supervenientia augent impetum.

§. 161. Prima ætate homines velocitate ortus et interitus commotionum et affectuum animi parum discrepant, celeres et effrœnos motus infantum animi capiunt,

unt; videre et ardentem cupere, deinde cupitis potiri et satiari, apud illos vix temporis puncto differunt, volunt, nollunt, irascuntur et sedantur subito *propter stupendam idearum celeritatem*. Uti ætas procedit, ita celeritas concipiendi et extinguendi commotiones et affectus minuitur; differunt tamen adultiores affectuum celeriore vel tardiore ortu, vehementia et continuatione *pro temperamenti, phantasiæ et facultatis consultandi ac prævidendi ratione*.

III.)

An affectus omnes rationem prosternant? Phlegma et apathia moralis.

§. 162. Qui non omnes vehementiores voluptatis aut tædii sensiones, sed illas solum affectibus accensent, quibus mens de statu suo dejicitur et animus sui compos esse definit, recte affectus omnes ad intemperantiam referunt, et perturbationes animi ac motus rationi non obediens appellant, quia mentem animumque ad inconsulta decreta et molimina abripiunt.

§. 163. At non omnium etiam valde vehementium animi commotionum hæc aut causa aut vis est, ut necessario mentem coecam, inconsideratam et animum sui impotem ac temere decernentem ac agentem reddant, ut facultatem et functionem distincte cogitandi et considerate decernendi agendique auferant. Potest ea esse corporis conditio, aut certe mentis et pectoris per cogitationes tempestive conceptas et usurpatas ejusmodi præparatio et robur, ut etiam repentinis commotionibus animi in consideratione, electione, executione veri rectique non impediatur.

§. 164. Hoc mentis animique robur recte *phlegma et apathia moralis* dicitur, atque a felicitatis et virtutis
 stu-

studio abesse nequit. At qui ad sapientis laudem hoc etiam requirunt, ut plane nullas animi commotiones subeat, et ad omnem voluptatis et doloris sensum percaleat; rem postulant, quæ in naturam humanam plane non cadit, atque plus mali quam boni allatura esset, cum ratio, cognitioque recti sæpe non nisi *acus nauticæ* vice fungi possit, adeoque *commotiones animi* in præclaris et magnis moliminibus *velut ventos adjuuctos* habere debet.

II.

De commotionum et affectuum animi præcipuis formis, et huc pertinentibus ejus affectionibus.

§. 165. Motus et affectus animi a variis varie distribuuntur. Qui eorum tria nimirum jucundorum, molestorum, et mixtorum seu mediorum genera faciunt, eos omnes voluptatis, ægritudinis, harumque copulationis formas et propagines esse dicunt, atque pro causarum i, e. boni et mali ratione, ejus aut sensu, aut prævisione et recordatione efficiuntur, distinguunt et denominant; aliis motuum et affectuum animi in sthenios et asthenios distributio maximi momenti esse videtur.

I)

De motibus et affectibus animi jucundis.

§. 166. In his, quos voluptatis, jucunditatis et gaudii nomine univèrsè appellare solent, maxime genus, causæ, effectus communes et affectiones animi cum iis conjunctæ spectandæ sunt.

§. 167. Cum res bonæ in potestatem usumque nostrum veniant, motus animi jucundos, quos continuare nitimur, oriri constat; qui cum placidi sunt et pacati, *bilaritatis*, cum vero effervescunt et erumpunt, adeoque commotiones vel plane affectus animi evadunt, *gaudii et lætitiæ strictius acceptæ* nomen gerunt; inde *animi tranquilli, commoti et perturbati* status, atque *tranquillitatis et inquietudinis* affectiones pendent. Quorum animos sensiones jucundæ penitus occupatos et quasi clausos tenent, non satis aut plane non, præsentium et futurorum rationem habent; ex quo intelligitur, cur lætitia *animi levitatem, incuriam et dissolutionem* pariat, quæ animi affectiones characterem hominum moralem *sequuntur et indicant*.

§. 168. Voluptas, fortunæ secundæ comes fibras animi relaxat, oblectationibus et successibus prosperitatis comitibus ebrii, ideoque alterius fortis incuri adeo enervantur, ut mutatis fortunæ vicibus confestim de mentis et animi statu dejiciantur, atque consilii inopes et impotes nec remedia reperiant, nec tentare audent aut valeant. Quare bonæ fortunæ usum bona mens moderari debet, adeoque in rebus secundis mens sapere et consulere discat et consuescat, ut *speret infausis, mereat secundis rebus alteram sortem bene præparatum pectus*. Nascitur hac ratione *animus semper hilaris et excelsus*, qui ita semper lætatur, ut alterius fortis nunquam immemor, nunquam securus dolores supervenientes nec ferre recuset, nec impotenter ferat; quem animi placidissimi ac supra fortunæ lusus et tormenta elati statam forma Socratis, mentis serenæ et animi tranquilli index, annunciabat.

§. 169. his, quos lætitia solitudinem exosa in animo producit, effectibus alii in corpore respondent, quo

rifus falutaris, velut animi latantis quædam ebullitio, exultatio et manuum comploſio, præterea celerior ſanguinis curſus pertinent, quo, cum gaudium eſt ſubitum, et ex bono ingenti et plane inſperato repente oritur, ſanguis tanta vi ad cor propellitur, ut vel mors repentina inſequatur.

I.)

De motibus et affectibus animi moleſtis.

§. 170. Motus et affectus animi moleſti generatim trædii, ægritudinis et triftitiæ nomine venire atque ex ſenſu aut opinione mali oriri conſtat. Mala et dolores utut natura evitare neceſſitat, ratio tamen ſalutares nonulorum effectus prævidens ejuſmodi mala ſubire aut pati jubet, quod facere etiam in poteſtate noſtra poſitum eſt; uti enim ſenſus doloris acutioris abtundit ſenſum levioris, ita metus mali majoris ex intervallo ſecuturi poteſt vincere horrorem mali levioris proxime iſtantis; et mens boni valde optabilis ſpem aut mali valde formidabilis metum gignere, alere et intendere, atque ita ſenſum aut formidinem mali, ſine quo prius conſequi et poſterius evitare non licet, vincere atque hoc modo efficere poteſt, ut pericula adeantur et mala perferantur.

§. 171. Cui promptus et alacer eſt ad talia pericula et mala non ſubterfugienda animus, eum *animo forti* eſſe dicimus; ex quo, quid vera *animi fortitudo* ſit ab incoſiderata et deſperante temeritate eorum diverſa, qui in pericula non neceſſaria et ſine majori malo evitabilia ſe inferunt, aut ob malam fortunam vel conſcientiam in timore vivunt, et propterea extrema tentant, quoniam nihil perdunt, ſi male, et omnia ſperant, ſi res bene ceciderint. Fortis animus etiam *impavidus et patiens* eſt, i. e. ſubito timore ex iſtantibus malis et periculis orto non conſterni-

nitur, et in malorum inevitabilium tormentis se ipsum exhilarat et erigit recordatione præteritorum et spe futurorum bonorum.

§. 172. Ad timiditatem et ignaviam evitandam, et ad animum fortem et intrepidum efficiendum non continua periculorum consuetudine, verum cogitationis familiaritate opus est, pericula et mala ab intrepidis vel vitari vel superari, certe reparari et redimi, trepidatione et ignavia augeri. *Subitus timor ex malo non proviso exortus, non semper timiditatis, et ignaviæ index, sedatur pudore, cogitatione malorum similium fortiter vel prospere superatorum, et maxime exemplis fortitudinis et fiducia imperatoris inter milites.*

1.)

Affectus molesti, quorum causæ patent.

§. 173. Ad hoc affectuum genus præcipue tristitia et pœnitentia, deinde metus, denique ira et pudor pertinent.

§. 174. 1) *Tristitia strictius* notat ægritudinem animi ex eventu aliquo valde funesto et ingrato natam, quæ vel *luctus* vel *moeror* vel *indignatio* dicitur, prout is vel casu accidit, vel propria aut aliena culpa existit.

Idea tristis, quæ sola aliquamdiu animum tenet, plerumque per alias sensim obscuratur; cum vero perpetuo ita menti infixæ et vegeta inhæret, ut ipsa potius omnium aliarum vim fugiat et evertat, corpus tristantis elanguescit. Acerbum est vulnus, quod a casu fortuito, acerbius, quod ab aliorum, acerbissimum, quod a propria culpa proficiscitur; hujus acerbiratis partes sunt opprobrium, quo, qui prave egit, se ipsum exeruciat, et metus consecutionum injucundarum, maxime vero sanctitatis et justitiæ

tiæ divinæ; inde est cur acerbitas pœnitentiæ claritati cognitionis aut persuasionis, prave facta vitare licuisse et oportuisse, et effectuum ex iis oriundorum respondeat, et diversos in vita pœnitentium effectus gignat.

§. 175. 2) *Meus* est ægritudo animi orta ex cogitatione mali futuri, sive veri, sive opinati. Timor subito incussus plerumque animum consternit, et *terror* dicitur, cui sæpe subito animus succedit. *Angor, horror, trepidatio* sunt gradus metus et terroris. Ab iis, quæ terrent, differunt ea, quæ stuporem (non consternationem) efficiunt, cujusmodi sunt quædam nova, improvisa, insolita, quæ admirationem et considerationem commovent. Cujus animus non facile periculorum et metu et superventu consternitur, *intrepidus* dicitur; cujus rei causa sæpe in temperamento sæpe in consuetudine periculorum, sæpe in bona mente posita est. Qui periculis non cedit, verum ea considerate subit et intrepide longiori tempore perfert propter præclaros fines, *fortis et animosus* est; qui se in pericula infert sine bono fine, quæ plane superari nequeunt, *temerarius*, qui pericula et mala fugit, quæ ratio et officium subire jubent, *timidus et ignavus* est.

§. 176. 3) Ira et pudor impotentes animi motus dicuntur, quatenus hominem malis, a quibus pendent, propulsandis imparem efficiunt.

§. 177. *Ira* est tædium vehemens, ortum ex iis, quæ adversum jura et vota nostra fieri videmus vel putamus. Læsiō proprie et offensio est, cujus sensus vel opinio iram commovet, quare non tantum hominibus, sed etiam beluis et rebus vitæ expertibus irascimur; cur suis sæpe magis quam extraneis irascantur homines, rationes facile illucescunt. Naturalis, quo homo ad sui et aliorum defensionem impellitur instinctus iræ motum sed non *ultio-*

nis cupiditatem excitat, quæ mala infert, quamvis nec præsentibus, nec futuris læsionibus propulsandis necessaria sunt. Valde iratorum ora aliorum pallore, aliorum rubore suffundi videas, prout vel potentiæ vel impotentiae injuriam depellendi, et confestim ulciscendi, conscientia et metus adest; quare illorum ira plerumque errumpit et evanescit, istorum inveterascit.

§. 178. *Pudor est ægritudo et metus, qui oritur, quod aliorum malam existimationem, vituperationem et irrisionem mereri putamus, aut certe vitare non posse credimus; natura acerbum est videre aut putare, talia ab aliis in nobis animadverti, aut animadversum iri, quæ illorum vituperationem, irrisionem, indignationem et contentum commoveant; inde est, cur pudore homines sæpe validius, quam legibus a pravis et absurdis cohibeantur. Pudor alius naturalis est, qui circa ea versatur, quæ sunt natura turpia et propudiosa; alius adventitius et assumtus, qui nititur opinionibus in societate aliqua publice receptis, propter quas sæpe vituperantur, quæ per se nihil vitii et culpæ habent; inde nascitur pudor malus seu falsus, cum nonnullos sæpe rerum minime malarum et plane bonarum pudet.*

2.)

Status animi molesti, quorum causæ latent,

§. 179. *Inter status animi molestos, quorum causæ non semper satis cognitæ sunt, maxime notari merentur, tum manens quædam animi ægritudo, anxietatis morositatis et indignationis plena, tum illud vitæ sui que fastidium, quod pendet ab inopia objectorum, eorumque variationis, quæ mentem animumque hominis satis teneant, occupent et oblectent.*

§. 180.

§. 180. 1) Ab obscura aut sensatione morbosæ conditionis sui corporis, aut memoria pristinae perpeffionis multarum et magnarum ærumnarum subinde animus manentem quamdam ægritudinem ducit, quæ cum anxium, querulum et morosum efficit; quorum animos ejusmodi tabifica ægritudo occupatos tenet, inquieti mala haud verisimilia metuunt, solitudinem quærunt, negant sibi lucere solem, ubique, quæ melancholiam augeant, apprehendunt, nihil boni, nihil solatii, quod ipsis proficit reperiunt. Ratio medendi huic malo ex notitia ejus causarum et alimentorum colligitur, sed facilius est venienti occurrere, quam, cum inveteravit, *sanandi remedia* quærere, sive *medica* sive *psychologica*.

§. 181. 2) Fastidio vitæ suique, quod *animi vacuitatem* (inanitatem) et *temporis tedium* appellare solent, afficiuntur *tum hi*, qui sunt ejusmodi circuli, occupationibus aut negotiis adstricti, a quibus ipsorum ingenii et animi, sive præclari, sive inculti indoles abhorret, *tum isti*, qui nullos in se ipsis, in suo ingenio et animo reperiunt occupationum et oblectationum fontes, adeoque eos extra se frustra quærunt *consumptis* aut *deficientibus*, quibus *serviliter* se addixerunt, *oblectamentis*; voluptarii in intervallis voluptatibus sensuum vacuis ob inanitatis sui animi conscientiam se ipsos ferre nequeunt.

§. 182. 3) Ex servili voluptatum corporis aliarum aliis succedentium aucupio nascitur, ut ait Seneca, *otii sui tristis et ægra patientia*. Minime optabilis est illorum hominum conditio, qui cum *juvenili ætate* nullos honestæ occupationis fontes in semet ipsis aperuerunt, ita secum habitare insueti sunt, ut nulla ipsis sit optio, nisi ludis et voluptatibus vanis, quibus assueverunt, indulgendi aut *osci-randi*; ingravescente ætate rigentes corporis nervi ad
 sup-

suppeditationem et sensum talium voluptatum inertes *vitam* efficiunt *languidam, insipidam, moestam.*

III.)

De motibus et affectibus animi mixtis seu mediis.

§. 183. Animus saepe voluptate et tædio, desiderio et metu ita simul afficitur, ut alter horum motuum alterius vim penitus haud debilitet et elidat; inde nascuntur *status animi mixti seu medii*, quorum tamen alii aliis magis ad iucundos vel molestos accedunt, horum præcipui sunt *spes, admiratio et obrectatio.*

§. 184. 1) Sperantes bona expectant incerta, quæ tamen obtineri posse existimant, quare non quiescunt, donec aut res speratas obtineant, aut spes extinguatur. Spes est motus animi mixtus ex cogitatione rei futuræ bonæ sed incertæ; prior rei ratio iucunda, posterior molesta est. Ad excitandum *hunc motum*, vitæ humanæ *condimentum*, potissimum faciunt, quæ difficultatem et incertitudinem diminuunt, viamque et conatum ad bonum obtinendum expeditiorem reddunt. *Maxima est spei in omni vita in utramque partem vis.* Futurorum bonorum cogitatio sollicitudines, et præsentium molestiarum sensum aufert; at vero etiam male credulos incurios et securos reddit, atque ita efficit, ut pericula adeant, et mala sibi consciscant.

§. 185. 2) Admiratio est consternatio animi, orta ex subito occurso rei alicujus insignis et inusitatæ, cujus intuitus vel cogitatio mentem primum *constringit*, deinde vero *laxat et incitat* i. e. idearum adlocationem promovet, atque ita vel gaudendi aut sperandi, vel dolendi, aut timendi argumenta affert et cumulat; cum admiratio

tan-

tanta est, ut, an in somniantibus vel vigilantibus res gerantur, nesciamus, oritur *affectus stuporis*. Quo quis magis vel minus intelligens est ejus, quo res mundanæ et humanæ continentur, ac volvuntur et revolvuntur, ordinis ac cursus, eo magis vel minus in eum cadit illud: *nil admirari*. At qui rerum, quæ in *uniuerso* obtinet, maximarum et minimarum varietatem et harmoniam scrutatur, animadvertit eam esse omni humano captu superiorem, atque attonitus admirationem *ejus auctoris* concipit nullis limitibus circumscriptam, nulla progressionem exhaustiendam.

§. 186. 3) *Eorum*, qui alios, maxime istos, quibus vitæ conditione pares sunt, sibi aliqua re præstare vident, *nonnullos* propterea animo torqueri et dolere, *nonnullos* solum extimulari constat, ut eos, a quibus superantur, superent, aut iis certe æquentur, illos *invidere*, hos *æmulari* dicimus; quare invidia *imbecillis et abjecti*, æmulatio vero *efficacis et generosi animi* indicium est, illa odium parit *primum* leve, *deinde* gliscens, *tandem* mordax, quod in nocendi impetum erumpit; invidorum alii superiores alii pares ferre nequeunt; quare: *pasceitur in vivis livor post fata quiescit*. Qui vitæ conditione sibi pares imitari vel nequeunt vel nolunt, eminentioribus *primus* invidere, *deinde* ingeniose obtrectare, *denique* crude obstare et conviciari incipiunt.

III.

De animi commotionum et affectuum in corpus potentia.

§. 187. Ex commotionum et affectuum animi historia, eorum vi non tantum mentem et animum, sed etiam
cor-

corpus hominis varia ratione incitari, debilitari aut plane perturbari, et signari ac formari constat.

I.)

Pathematum animi vis in organa vitæ.

§. 188. Imprimis motus et affectus animi varia ratione *functionibus organorum vitæ* jam prodesse, jam obesse, dubium videri nequit; et generatim quidem hoc observare licet, quæ sunt in vehementi quadam voluptate, aut mediocri tristitia positæ animi commotiones, ab animo ita in sanguinem propagari earum effectus; ut eum magna celeritate atque impetu ex corde ad exteriores partes propellant: quæ autem gravi aliquo dolore et tædio continentur, ab externis corporis partibus eum versus eorū repellunt et retrahunt; ex quibus omnium fere cæterorum ratio reddi potest, quæ commotiones animi in corpore consequuntur; uti cur *quædam* rubore, *aliæ* pallore os inficiant, *alias* gestiens quædam alacritas, *alias* vero tremor et languor artuum sequatur, *aliæ* arteriarum ictus excitent, *aliæ* spiritum intercludant, *aliæ* in jecinore, *aliæ* in pulmonibus vim suam exferant, *aliæ* risum, *aliæ* fletum salubrem commoveant, *quorum* variæ causæ esse possunt coram afferendæ.

II.)

Pathognomia et physiognomia motuum et affectionum animi.

§. 189. Deinde etiam varios animi motus, variasque ejus affectiones a corporis motibus, partibus et conformatione varia ratione indicari et signari, dubium videri nequit. *Omnis animi motus*, ut ait Cicero, *suum quemdam*

a natura habet vultum et sonum et gestum, totumque corpus hominis et ejus omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus ita sonant, ut a motu animi sunt pulsa; licet ora ipsa intueri iratorum et invidorum, et aut eorum, qui sunt gaudio permoti aut cupiditate incitati, aut tristitia metuve et constricti et dejecti, affectionibusque, quæ ex horum pathematum repetitione nascuntur præditi, quorum omnium vultus, obtutus, voces, gestus, statusque corporis mutari, variaque ratione signari et indicari constat. Cui nota iracundi, meticulosi, voluptarii (asoti), ambitiosi, avari &c. est impressa, ei manet tunc etiam temporis, quo his pathematibus non exagitur; idem de modulatione vocis statuendum est, aliud enim genus vocis sibi sumit iracundus, acutum et incitatum, aliud miseratio et moeror, flebile, plenum ac interruptum, aliud voluptas, effusum lene, tenerum; ad iram propensus plus vel minus incitata oratione utitur, ad tristitiam proclivis interrupto, pleno, flebili orationis genere utitur, etiam, dum nulla tristitiæ adest causa.

CAPUT SECUNDUM.

Physiologia animi humani,

f e u

De studiis et passionibus animi.

§. 190. Cognitis animi humani legibus et motibus, jam a quibus affectionibus omnes ejus inclinationes, omnia ejus studia, velut propagines a suis propriis principiis et a sua communi radice deriventur, et qua ratione in passionibus degenerent, investigari et declarari potest.

S E C T I O P R I M A

*De studiis animi humani, eorumque principiis
et radice.*

§. 191. Omnes animi humani propensiones, omnia ejus studia vel quemque ipsum, vel alios *proxime*, omnia vero perfectionem tamquam scopum *ultimo* spectare, adeoque philantia et sympathia velut primariis animi humani affectionibus, et studio perfectionis ac felicitatis tamquam communi fonti subesse, ex iis, quæ de legibus et motibus animi humani tradita sunt, consequens esse videtur.

I.

De philantia et studiis animi ad eam pertinentibus.

§. 192. Philantia amorem sui ipsius denotat, quem cum *alii* immoderatam nonnullorum de se ipsis opinionem et nimium utilitatis propriæ studium efficere, *alii* desiderio sensuales suas propensiones explendi, contineri putarent, *alii* pro ejusmodi animi studio haberent, quod sit mensura officiorum hominis erga alios, quæ res inter se pugnant; intelligitur, veram amoris sui ipsius indolem et vim rem obscuram et incertam, adeoque sedulo exquirendam.

I.)

Amoris sui ipsius vera indoles et vis.

§. 193. Amoris sui ipsius nomine nihil aliud intelligi potest, quam *hominis* primum velut animantis, et

ex intervallo velut personæ, *cura sui ipsius*. Vi amoris sui ipsius homo se ipsum velut individuum proxime respicit, omnia ad semet ipsum velut ens vivens, deinde velut ens intelligens, et voluntate libera præditum, adeoque ad suam salutem, dignitatem et utilitatem refert; expetit itaque vitæ suæ *conservationem*, ejus, dum decurrit, *jucunditatem*, et post mortem *continuationem ac beatitatem*; quare verus sui amor positus est in studio verarum suarum virium et perfectionum incrementis operam dandi, earumque possessione gaudendi.

§. 194. Verus itaque suis ipsius amor *oculatus et modestus* est. Qui enim pro viribus et perfectionibus earumque causis habent, quod revera plenum est imbecillitatis, aut certe per se nihil adhuc præstantiæ habet, qui voluptatem ex cogitatione virium et perfectionum suarum non temperant cogitatione et desiderio earum, quæ desunt, et justa æstimatione alienarum, qui bonorum externorum copiam et usum pro primaria felicitatis causa habent; non se ipsos amant, verum fatua quadam sui ipsius charitate obcæcantur, quam *egoismum et solipsismum* appellant. Parum se amant, qui nimia virium suarum diffidentia laborantes, dolent sibi deesse vires, quas reapse habent, atque propterea id, quod præstare possent, agredi verentur. Contra non tam nimio, quam nullo amore se prosequuntur, qui multo, quam sunt, meliores et validiores, aut ipsa sua morali imbellicitate et pravitate magni sibi videntur; falsa aut nimia sui ipsius opinio arrogantiae effectrix, atque minuti ingenii et animi indicium est. Quamquam enim arrogantes aliorum imperfectiones et vitia acute sæpe pervideant, in semet ipsis tamen cognoscendis, et in pretio bonorum corporis, ingenii et animi æstimando plerumque valde hebetes et cæci sunt; posita est

hæc

hæc cœcitas in ignorantia, quarum rerum *pretium absolutum*, quarum tantum *relativum et conditionatum* sit.

§. 195. Nimia de se ipso opinio, et in se ipso complacentia, atque immoderata bonorum externorum æstimatio et consecratio dependet maxime ab inepta educatione, et consuetudine vulgari bona externa præcipue curandi, et quemque, quo est ab horum copia conspectior, æstimandi; *quo nihil nocentius cogitari potest*, quia imbecillitatis maximas etiam vires comitantis cogitationem aufert, et curam præstantiorum bonorum minuit. Majori, quam par est, virium suarum et pretii sui fiducia et opinione inflati se perficiendi et emendandi ardorem abjiciunt, et immoderata bonorum externorum cupiditate et cura distracti se quærunt extra se; *illi* eos, qui imbecillitatem monstrant, pro inscientibus aut inimicis et invidis habent, *isti* bonorum et auctoritatis expertes negligunt; quare animus ad moderationem assuefaciendus est, ut cogitationem suarum perfectionum, et cupiditatem ac consecrationem bonorum externorum temperet cogitatione suæ imbecillitatis et cura bonorum internorum, neque quid *opinionem variabili*, sed quid *natura constanti* magnum et bonum sit videat. Sed cavendum est, ab illa falsa modestia et bonorum externorum incuria, quæ est latens superbia et avaritia, quæ dum perexiguam de se et bonis caducis opinionem præferret, reapse laudes, auctoritatem, dominatum et opes aucupatur.

II.)

Amor sui ipsius varios instinctus, varia studia complectitur.

§. 196. Jam quibus instinctibus et studiis se illa prima animi affectio exserat videamus, qua homo se ipsum

sum proxime quærit et respicit, cum ejus vis multiplici momento et necessitudine cum aliis rebus contineatur.

1.)

Amoris sui ipsius prodromi: instinctus conservationis et defensionis.

§. 197. Esse cupit homo, abhorret ab interitu, vehementer conatur remove omnia, quæ vitæ prorogationi obstant, adeoque instinctu naturali vitæ conservandæ et defendendæ pollet. Ratio horum instinctuum vehementiam considerans, deprehendit admirabilem naturæ scopum, et sapiens ejus auctoris consilium, impedire volentis, ne homo ob inevitabiles vitæ molestias vivenditædio capiatur, adeoque vitam abjiciat; videt præterea, vitam hanc, i. e. continuationem vinculi, quo anima cum corpore arctissime conjungitur, esse basim et conditionem perfectionis et salutis terrestris, ac vestibulum futuræ; quare concludit, *nec vitam abjiciendam, nec propter eam vivendi causas esse perdendas.* Qui autem sponte sua vitam abjicere, atque ante diem de vita decedere statuunt, hi aut falsis ratiunculis inducti, aut gloriæ opinione decepti sunt, aut miseriæ suæ cogitatione conturbati, aut mentis statu dejecti agunt, adeoque ejusmodi exemplis, quod diximus, nullo modo infirmari potest.

2.)

Amoris sui ipsius satellites: cura corporis, instinctus, activitatis, studium dominii, honoris, dominationis et libertatis.

§. 198. Sed non tantum esse, verum etiam recte se habere, et bene sibi esse, vi amoris sui ipsius cupit
ho-

homo; quare illos amoris sui ipsius præcursores excipiunt, alia animi studia velut illius satellites.

§. 199. Primas, ut sit et bene se habeat, curæ partes corpori suo, velut animæ domicilio, officinæ et organo impendit homo primum solo naturæ instinctu, deinde vero rationis magisterio et imperio, bonæ corporis constitutionis suavitate et commoda, et adversæ molestiam ac incommoda, et utriusque in mentis et animi indolem ac conditionem vim considerans, adeoque sanitati, integritati, robori, agilitati corporis sui horumque causis, nimirum munditiei et temperantiæ studet, atque vitæ ac valetudinis pericula studiose vitat.

§. 200. Indiget anima viribus et bona constitutione corporis, ut mentis et animi vires explicare, augere iisque recte uti possit. Vires corporis æque ac animi non usurpatæ non solum non perficiuntur, sed plane debilitantur; quare non desidia sed occupatio et labor hominis naturæ convenit, quem natura ipsa a desidia revocat *ingenerato activitatis* (efficacitatis, *αυτοπρωϊας*) *instinctu*, cui velut moderatores adjunxit *appetitum varietatis et oiii*, ut vires non atterantur, sed alternatim adhibitæ et cessantes reficiantur.

§. 201. Naturalis intercedit homini necessitudo cum variis rebus externis, quæ sunt a personis diversæ, quarum possessione et usu indiget ad vivendum, et ad vivendum jucunde i. e. ad vigorem corporis et animæ procurandum et conservandum, ac ad potiundum variis voluptatum generibus; inde est, cur amor sui ipsius cognita harum rerum vi, studium eas proprias habendi i. e. studium *dominii rerum* progeneret. Præterea ita natura facti sunt homines, ut aliorum de ipsis bonis opinionibus, et ex sua apud alios quacunque prærogativa et aucto-
rita-

ritate voluptatem, ex ignominia et despectu, atque ex ea conditione, in qua deprimuntur et pro nihilo putantur, aut pro mera re, pro mero medio et instrumento habentur, tædium capiant. Inde est, cur ex amore sui ipsius etiam *laudis et honoris, ac dominationis, auctoritatis, potentiae et libertatis* studia efflorescant.

3.)

Amoris sui ipsius duces ac rectores: cognitionis, recti et decori amor ac studium.

§. 202. Vita, valerudo, vires corporis, bonorum externorum copia, honor, potentia, auctoritas, libertas (res innumeris casibus expositæ) nec summos nec omnes vitæ felicis numeros continent, et sine scientia ac probitate locum habere, aut certe prodesse nequeunt. Quare animo adjuncti sunt instinctus curiositatis et conscientiae, quorum vi amor sui ipsius sciendi cupiditatem et studium recti ac decori progenerat.

§. 203. Hominibus infantibus vehementiorem inesse cupiditatem cognitionis et scientiae experientia docet, quoniam ipsorum mens tabulae rasae non absimilis, celeriori multarum notionum et regularum adeptione ac conjunctione indiget. Impetu intrinseco ad ea, quae natura facit et libertas gerit observanda, eorumque causas et leges, cur illa fieri necesse sit, et ista homines facere oporteat, explorandas feruntur. Quorum cognitioni cum multae voluptates, multa commoda, ignorantiae vero et errori multae molestiae et multa incommoda annexa sint; amoris sui ipsius vi fit, ut homo facultatis suae cognoscitivae vires adhibere et perficere, atque cognitionis utilis copiam in mentis suae quasi fundo colligere studeat.

§. 204. Inest in omnibus moribus et actionum liberarum generibus *quædam nativa gratia vel turpitudine*, propter quam a ratione præcipiuntur vel vetantur, animoque hominis necessario et simpliciter placent vel displicent i. e. cum *veneratione vel contemptu* adversus eorum auctores implent, ex quo etiam *recti amorem et pravi horrorem* animo inesse consequitur. Inrita præterea est rationi et animo cujuscvis hominis vis quædam testis et iudex eorum, quæ quis intendit et gerit (consiliorum et factorum) rectitudinis aut pravitatis, et hæc prima consolatio et ultio est, quod se teste et iudice *nemo innocens et bonus* condemnetur, *nemo malus* absolvatur; mens recti aut pravi conscia necessario extollitur et recreatur, aut abiicitur et angitur.

§. 205. Inest etiam animo humano quidam *sensus et amor decori*, quod consistit in *externa se gerendi ratione*, animi probi *iudice* vel certe *simulacro*, atque vel *generale* ad honestatem universæ pertinens, vel *proprium* est ætatum, sexuum, ordinum, i. e. dignitatis in consortio. Decorum et indecorum duo sunt fontes, *alter* est in ipsa rerum natura, *alter* vero in hominum opinione et consuetudine positus.

II.

De sympathia et studiis animi ad eam pertinentibus.

§. 206. Sympathiæ nomen proprie eam animi conditionem notat, cum, quod alios sentire videmus vel opinamur, propterea ipsi etiam sentimus. Nimirum ita natura comparati sumus, ut *alienos status* percipientes vel cogitantes simili ratione afficiamur, præcipue ut aliorum bona

vel mala contuentes aut cogitantes ea celeriter ad nos referamus, ut ex aliorum rebus prosperis gaudium, ex adversis vero tristitiam miro contagio velociter colligamus; hæc humanæ naturæ indoles *sympathia* dicitur.

I.)

Sympathiæ humanæ vis et universalitas.

§. 207. Hominum status corporis, mentis, maxime animi, at non omnes nec eadem vi se in spectatorum animos transfundunt. Motus sympathetici per oculos et aures primum hauriuntur, deinde vero etiam phantasiæ et reflexionis vi excitantur, suntque eo fortiores, quo tenerior est sentiendi et vividior imaginandi facultas, et quo major affinitas intercedit inter patientem et spectatorem. Alienorum statuum sive jucundorum (congratulatione) sive tristium (commiseratio) *sympathia primum* per vultus, gestus, voces sensibus gratas vel molestas, per quas velut per signa se produnt, *deinde* per subitam adfociationem propriorum similium casuum (memoriam vel expectationem) *denique* per ipsam naturæ humanæ similitudinem excitatur, cum res natura similes et similiores etiam conditione (existendi modo) assimilari et uniri necesse sit.

§. 208. Quare *sympathia* est communis hominum animi affectio, cujus tamen vis varias per causas, nimirum *consuetudine, inconsiderantia* et maxime *ob sensus statusque plane contrarios obtunditur*, unde *antipathia* nascitur, qua fit ut jocosum mæstus, tristem hilaris, mitem iratus fugiat. Cum *sympathia* efficiat, ut alienæ prosperitatis sensus et cogitatio jucunde nos afficiat, latissimum gaudendi campum aperit, et amplissimam lætandi materiam præbet; nam si quemque ipsum tantum spectarent affectio-

fectiones et studia sui animi, non posset nisi *propriis et privatis bonis* frui, sympathiæ vero vi fit, ut etiam *alienorum contemplatione læteretur*, et bona aliorum communia habeat. Præbet profecto sympathia etiam copiosa tristandi et dolendi argumenta, at dolor et tristitia commiserationis, quæ ex alienis malis oritur, adeo amara non est, variasque voluptatis causas adjunctas habet, per qua minuitur.

II.)

Familia sympathiæ.

§. 209. Jam quibus instinctibus et studiis tamquam furculis se hæc altera primaria animi humani affectio exferat, qua is aliorum conditione et fortuna movetur, et in ejus societatem trahitur, age videamus.

I.)

Synergia et instinctus imitandi.

§. 210. Sympathia primum *Synergiam* et *imitandi impetum* progignit, i. e. impulsum ad similia, quæ spectamus audenda et molienda, cujus utique magna vis est in vita humana, et in omni ætate maxime in puerili, in utramque partem per exempla, *cum omnia fere homines imitando discant*. Spectatores colluclantium horum gestus et librationes æmulari, et pueros clamante, currente, saltante uno exclamare, concurrere, consaltare, atque socios in devotionis, timoris et animositatis aliorumque animi motuum societatem trahi et plane rapi videmus.

§. 211. Synergia impetus est tanto fortior, quanto vividior est ingenii adhuc parum culti imaginatio, et quanto vires propria (ingenii) ad eas, quarum documenta intuemur,

accedunt propius; *inde* nota illa exclamatio Corregii pulchram picturam conspicientis; *inde* magnorum ingeniorum et animorum mutua incitatio et agitatio, *inde* vocum et gestuum alienorum fallax æmulatio. Synergia etiam aliis causis maxime æmulatione et emulumentorum studio excitatur et augetur; nolumus minus valere, quam alios præstare videmus, nolumus carere bonis, quibus alios frui videmus; hinc oritur imitandi studium, quod in pueris et rudibus maxime se prodit, et Aristotelis decretum hominem esse animal *μιμητικώτατον*.

2.)

Instinctus amoris et benevolentia.

§. 212. Ex sympathiæ fundo præterea *amoris et benevolentia* mutua *instinctus et studia* efflorescunt. Homines noti et ignoti, albi et nigri, potentes et imbecilli, propter naturæ humanæ præstantiam et communionem sibi naturaliter placent, alter alterius incolumitatem et prosperitatem cupiunt, atque ad malum præsens ab aliis removendum, et ad bonum præsens iis impertiendum impelluntur. Quamquam autem sympathia efficiat, ut status aliorum celerrima conditionis nostræ assimulatione nostri videantur, indeque oriatur impetus illorum continuationem vel cessationem efficiendi; non tamen propterea solum erga alios misericordes et benigni sumus, quod aut jam idem malum senserimus (non ignara mali miseris succurrere disco) aut metuamus; priusquam nostra ex alienis malis et periculis metiri et metuere didicimus, alienas lacrimas arefcere, et miseris succurrere cupimus et properamus. Cum in proximo vitæ periculo versantes opem implorant, quanta celeritate commoven-

tur

cur adstantium animi? *sine lucri aut laudis cogitatione et spe* auxilium ferunt. Congratulantes sæpe impensius quam eos, quibus gratulantur, gaudere non plane insolitum est.

§. 213. Hic misericordiæ et benignitatis instinctus, cor bonum et molle, i. e. animum ad gaudium e prosperitate et gaudio, et dolorem e miseria et dolore alieno capiendum, proclivem efficit, atque sensum amabilitatis excitat, quæ inest in cogitatione *benignitatis*, i. e. animi perpetuo intenti in gaudium capiendum et querendum ex salutis alienæ conspectu, securitate et amplificatione, fallitur itaque Epicurus ratus, homines non fore beneficos, nisi essent imbecilli. Juvare alios, illis prodesse, atque propterea majus pretium sibi tribuere natura instituit homines, ejus vi fit, ut jucundum sit homines felices videre, jucundius eos felices efficere et servare. Non durum sed molle natura homini cor dedit, cujus callus ubi locum habet, ex causis fortuitis nascitur; *educatio* ad alios negligendos ob differentiam originis, conditionis et religionis, animos tenellos detorquet a naturæ ratione, *flagrans commodi privati cupiditas* omnem alienæ utilitatis et miseriæ respectum opprimit, nonnunquam *propriarum et alienarum calamitatum series et consuetudo* animum induret.

3.)

Instinctus in societate vivendi.

§. 214. Communio naturæ, præstantiæ et finium in hominibus, qui propterea jucunda et acerba communitia habere coguntur, accendente quocunque sensu et intelligentia imbecillitatis et insufficientiæ singulorum necess.

cessario eorum congregationes varias producit, ut consociatis viribus securitati et commoditati vitæ aliisque finibus obtinendis studeant; inde est, cur prius nimirum ab ortu inde suo homines societatis vinculo implicentur, quam ejus causas et commoda cognoscant. Infirmi alimentorum, manuductionis et doctrinæ egentes nutriuntur et educantur ab adultioribus, salutaria vitæ, quæ non ut animantia sensu et instinctu distinguere possunt, dignoscere et quærere docentur, sermonem et cum sermone aditum ad rationis usum exemplo et institutione discunt.

§. 215. Quare dubitari nequit, esse homines ita formatos, ut et societate indigeant, et ad eam colendam, i. e. ad communes fines unitis viribus obtinendos habiles et proni sint, ut adeoque nec naturam nec etiam historiam sibi consentientem habeant, qui homines natura non philanthropos sed misantropos, non amicos sed hostes invicem esse contendunt, ex quorum sententia homo secum ipso et cum aliis semper discors eget societate eamquam appetit, et simul insita malitia labefactare nititur. Mutus, nudus, omnium egenus in terram prodit, adultus aliorum cura servatus cum humanitati redditus esse videtur, fit animans inhumanum, intractabile, malignum, invidum, suspiciosum, ultionis cupidum, arrogans, sui commodi causa nulli cedens, nulli fidum, nulli obtemperans, nisi præpotentia alterius eum trepidare cogat; *imbecillus* potentibus invidet, diffidit, male cupit, *potens* imbecillos contemnit, opprimit, cupiditatibus suis servire cogit, oppressione liberatus multo acrior oppressor evadit.

§. 126. Animus humanus necessario ab hac nequitie imagine abhorret; quare historiam ejus a nativis animi sui principiis nimirum philantropia et sympathya non proficisci, adeoque homines non *natura universali* sed *degeneratione*
par.

particulari diros et tetros in terra, communi domicilio, convivas subinde existere agnoscit. Fallit illa exaggerata naturæ humanæ accusatio; falsum est, imbecillos et pauperes potentum et divitum interitum cupere, hos vero illorum tamquam nativorum inimicorum odio flagrare, atque sui odium, dum ab oppressis metuantur, non curare; propensionum et utilitatum pugna nonnullos distrahit, at natura et finium præcipuorum communio universos conjungit. Visis alienis malis maxime illis, quæ ob aliorum injustitia et inhumanitate, ab habendi et dominandi cupiditate nascuntur, exardescit cujusvis etiam infantis animus, seque cum altero, cui male est, sympathiæ vi confundens, sentit conatum illius mali depellendi, nec precibus demum afflicti incalescunt homines, sed ultro advolant, tam conveniens homini est hominem servare voluptas.

III.

Sympathiæ et socialitatis fructus præcipui.

§. 217. Ad præcipuos sympathiæ et socialitatis inter homines fructus pertinent arctiores quædam hominum conjunctiones, dein beneficiorum et cognitionis acquirendæ opportunitates, denique congressus et conversationes hominum.

1.)

Societates peculiare, præcipue: civitas, amicitia et conjugium.

§. 218. Primus et certe princeps fructus sympathiæ et socialitatis humanæ sunt *conjunctiones hominum peculiare, maxime civium, amicorum et conjugum.*

§. 218.

§. 219. Dantur infinita bona, quæ nemo solus, aut fortuito aliorum auxilio sibi comparare potest; quare alii cum aliis arctius se ad certa bona velur fines unitis viribus obtinenda conjungunt i. e. *societates peculiare* condunt, in quibus adeo pacti et finis ratio habenda est. Ejusmodi societates sunt *primo* vel æquales, vel inæquales cum subjectione et imperio, quod est jus leges ferendi, eorumque custodiam ab invitis etiam per vim exigendi; *deinde* vel privatæ, vel publicæ seu civitates. Nullius civitatis conditio et administratio vacare potest incommodis, optima illa est, quæ minimis urgetur; quæ vero hæc est? in qua plurimi focii vera societatis commoda perspiciunt, paucissimi negligunt et privata communibus præferunt, fortunatioribus et potentioribus ceteri haud invident, neque hi illorum avaritiæ, luxuriæ, ambitioni vi aut fraude servire coguntur. Ex privatis conjunctionibus perpetuis duæ sunt eximia vitæ prosperioris adminicula, nimirum amicitia et conjugium.

§. 220. *Amicitia* est summus benevolentia et fiducia mutua gradus inter duos homines intercedentis, ex magna principiorum et consiliorum agendi consensione ortus; quare non nisi inter probos locum habere potest, omnis enim quæ alio fundamento nititur animorum conjunctio, quamvis sæpe valde ferveat, cessat tamen sublata illa fortuita causa, aut plane in odium et contentum mutuum abit. Quamquam vero præstet nullos quam simulatos et improbos habere amicos, tamen amicitia vinculum nec minutas vires indicat, nec casu plane fortuito nascitur. Sympathia et socialitas mentes et animos similes necessario arctius jungit, *vera amicitia* est fida, firma, veri dicendi et audiendi cupida, verecunda, adjutrix virtutis et prudentia, nunquam his adversa.

§. 221. Cum propter instinctum sexualem coelibatus paucis conveniat, vaga venus vero illius instinctus scopum optimum plane evertat, et hominem infra belluam deprimat, sympathia efficit, ut mas et foemina individuum fortunæ utriusque societatem, procreandæ et educandæ sobolis, et mutui vitæ adjumenti causa ineant. Marem et feminam si naturæ vocem audiant non coeca libido, non luxuria, non avaritia permoverint, ut hac indissolubili societate conglutinentur; illæ causæ corpora jungunt, animos distrahunt, conjugium arctissimæ, quæ esse potest, amicitia vim habere adeoque perpetuum esse debet. Ut sapiens fuerit matrimoni consilium non ex eventu sed ex spe rationabili æstimandum est, cum vitam non tantum sapientia, sed etiam fortuna regat.

2.)

Beneficiorum et cognitionis opportunitates plurimæ.

§. 222. Sympathiæ et socialitatis humanæ vi fit, ad quæ sæpe etiam religio et ipsius rei suavitas accedit, ut homines aliis ope indigentibus gratis inserviant i. e. beneficia iis præstent. *In beneficiis æstimandis* animus dantis et effectus in accipiente spectare oportet. A gratuito dantis amore facta aliis proficua proficisci debent, ut sint vera beneficia; quare consilia alios quasi ære alieno obstringendi, aut plane foeneratorum more plus accipiendi, præterea se ostentandi, alios torquendi abesse debent. Minus est beneficium, cujus utilitas percepta statim interit, majus, quod plurimum et præstantiorum bonorum ferax est. Ad beneficorum et beneficiorum numerum augendum nihil plus confert quam *gratus animus* i. e. studium in vitæ cursu beneficiorum recordandi et benefac-

factori data occasione grata et utilia liberaliter præstandi. Quare dubium videri nequit, eos, quos ope nostra egere videmus, aut nobis benefecisse meminimus, præcipua esse sympathiæ et amoris nostri objecta.

§. 223. Infitum est homini studium cognitionis, amat *verum*, detestatur *falsum*, cum hoc, quod in mente judicantis, tum istud, quod in ore loquentis positum est, Sympathiæ et socialitatis vi efficitur ut infantes ab adultis *fari et sapere* discant, ut adulti, quæ observando, exquirendo, discendo cognoverunt, aliis communicent et in consortio etiam inscii alii aliorum magistri fiant, ut non tantum *veraces et sinceri* i. e. falsiloquio (falso sermone) simulatione, reticentia et dissimulatione, quæ diffidentiam mutuam excitet et alat, et fidem minuat vel tollat, ad consortium et commercium humanum necessariam, abstinere, sed etiam *aperiti et candidi esse* i. e. quod sciunt et sentiunt vere, ingenue et ultro aperire *velint*, quoties id aliorum vere interest, et officium postulat. Ex his argui potest, quousque contra naturam et officium agant, qui studiose aliud dicunt aut agunt, quam cogitant et sentiunt, aut id quod sciunt, percontantibus verbis factisve non aperiunt.

3.)

*Conversationes hominum earumque altrices: venusta
humanitas et decorum.*

§. 224. Sympathiæ vi etiam conversationes hominum velut vera vitæ condimenta conciliari facile intelligitur. Congregari et conversari homines videmus, ut de rebus relatu et auditu dignis et jucundis sermones misceant. Cujus rei *fructus* sunt *multiplices*, animus labori diutius intentus relaxatur, sollicitus curas, tristis cogitatio-

tionem molestiarum tantisper ponit, intelligentiæ facultates vigorem novum et alimenta acquirunt, atque *bi effectus* maxime ceu fines conversationum *spectari debent*. Consortia hominum vero jucunda et fructuosa esse nequeunt, nisi in iis ad aliquam æqualitatem et fiduciam accedant; negligi, flocci fieri, tacitæ despicientiæ et opprobrii signa videre acerbum est; blandum alloquium, comitas non simulata maxime eorum, qui aliis dignitate et conditione præstant, placet, facitque, ut ceteri eos reverenter habeant, nec imbecillitatis suæ molestiam sentiant. Quod certe omnes observant, qui pretium homini et civi cuivis jam, qua tali, ut par est, statuere consueverunt.

§. 225. Tempus conversando sine molestia et jucunde ac fructuose transacturis, opus est singulari animi attentione in id, quod displicet vitandum, et quod placet faciendum, adeoque venustæ humanitatis et decori studio, *Venusta humanitas*, quæ differt *ab ordinaria humanitate* i. e. ab alacritate cuivis etiam ignoto et ignobili forte obvio gratificandi in iis, quæ sine majori molestia aut mali metu præstari possunt, posita est in ingenua significatione voluntatis sibi cauendi ab omnibus, quæ tædium et molestiam cuiquam afferunt, contraria vero sine affectatione loquendi et agendi. Omnis placendi affectatio et maxime *assentatio* i. e. ementita laudatio, acutioribus displicet nec occultari potest, atque contemptum abjecto, et odium subdulo adulatori parit; ingenii et animi laudes (virtutes) harum naturalia signa, non inania simulacra, placent et laudem merentur. Absit itaque a conversatione et vita austeritas, ferocia, rusticitas, arrogantia potentiorum, quæ vultu, verbis et factis despectum et contemptum infirmiorum significant, arrogantesque jam ridiculos, jam invisos reddit, dominantur affabilitas et popularitas illæ

amoris et reverentiæ conciliatrices ; absint præterea petulantia et protervia, quæ alios dictis et factis leviter pungit, et jocos amaris perturbat, porro vehementia et insolentia, quæ prorumpentibus subito animi motibus alios offendit, denique impudentia et obscœnitas, quæ cogitationes pudori contrarias movet, dominetur ubique decorum illud honestatis indicium vel certe simulacrum.

§. 226. *Decor* est habitus in actionibus externis, vultu gestu, vocis sono, sermone, silentio, incessu, vestitu &c. leges decori ita servandi, ut nulla affectatio nullumque artis vestigium appareat; qua re nihil gratiosius et gratius in vita et consortio esse posse, usus satis docet. At decorum naturale et perfectum esse debere facile intelligitur, cujusmodi est, cum finibus, a quorum cogitatione profectum est, respondet; fines sunt, perturbationis, tædii, contemptus, odii subiti in consortiis humanis evitatio; quam ob rem decorum, cujus custodia minimas, violatio vero maximas habet molestias, naturale et necessarium videri debet. Quo minor est ingenii cultus, et quo major morum simplicitas in quadam natione, eo minus simplex et naturale decorum, et eo magis superstitiosa et anxiosa est ejus custodia, eo gravius ejus incuria et violatio reprehenditur. Inde tamen non sequitur, omnis, quod inter homines obtinet, decori eam esse rationem, ut ejus custodia plus molestiæ afferat, quam impediatur, quod ea, quæ naturaliter et honeste fiunt, cultos et ingenuos homines coram aliis facere prohibeat, ne rudibus scandalo sint.

III.

De primo animi humani instinctu, omnium ejus propensionum et studiorum fonte.

§. 227. Philantiam et sympathiam primarias et maxime obvias animi humani affectiones esse, atque ex his reliquas ejus propensiones et studia velut surculos ex stirpibus suis efflorescere vidimus.

§. 228. Ex indole utriusque hactenus declarata jam satis colligi potest, eas natura nec ita disjunctas, nec adeo conjunctas esse, ut altera alteri aut tantum a latere posita, aut velut fonti subjecta videri debeat.

§. 229. Is potius est earum mutuus respectus, ea necessitudo, ut ceu stirpes variorum surculorum communem aliquam et profundiorum in animo affectionem velut radicem arguant, in qua re non una est psychologorum sententia.

I.)

De instinctu et studio animi humani ceterorum omnium fonte hypotheses variæ.

§. 230. Quamquam plerique animi humani exploratores et interpretes primam aliquam ejus affectionem et propensionem esse putent, ex qua velut fonte ceteræ omnes immediate vel mediate deriventur, pauci duas pluresve in animo sibi tantum a latere positas statuunt, quænam tamen sit illa prima animi affectio communis ceterarum fons aut radix, in diversas sententias abeunt.

§. 231. Qui Aristippum et Helvetium ducem sequuntur, omnia ad voluptatem corpoream referunt, hujus causa cetera, uti honorem, potentiam, doctrinam, amicitiam

tiam &c. expeti docent, adeoque *sensualitatem practicam*, i. e. voluptatum corporis ministerio advenientium appetitum et confectionem *pro fonte* omnium animi instinctuum et studiorum constituunt. Si ad hoc tantum tenderet hominis natura, ut corpore fit quam optime affectus, ratio humana superflua, et felicitas humana in oblectationum sensualium affluentia posita videri deberet, quod nemo cordatus affirmabit.

§. 132. Nonnulli *instinctum et studium efficacitatis et amplificationis irrestrictæ et irretentæ* pro fonte omnium ceterorum animi impulsuum et studiorum habent. His ultima et communis causa, cur quæque alia placeant, in expedita mentis efficientia et amplificatione posita videtur; in qua re experientiam consentientem non habent, per quam certum est, ea, quæ per sensus externos maxime illos crassiores jucunda sunt, nullam per se extendendæ et intendendæ intelligentiæ et cognitionis vim habere.

§. 233. Plurimi et gravissimi animi humani scrutatores *sensum et amorem sui ipsius et studium felicitatis* pro illa intima et prima animi humani affectione habent, ex qua ceteræ omnes progignantur, hæcque nihil nisi varias facies, variosque aspectus amoris sui ipsius esse contendunt. Quamquam vero hoc primum cujusque studium est, ut sit omni tempore quam optime animo affectus et perfectus, non tamen inde solum et præcipue fit, ut etiam aliorum salute et perfectione delectemur, et imperfectione ac miseria moveamur.

I.)

Instinctus, et studium perfectionis omnium animi affectionum et studiorum fons est.

§. 234. Vi amoris sui ipsius homo se ipsum velut finem absolutum spectat, et tamquam personam perficere stu-

studet, et propterea alios varia ratione tamquam media ad se ipsum refert; vi sympathiæ contrarium fit, alios non tamquam præsidia nostræ salutis, verum tamquam fines absolutos consideramus et tractamus, adeoque nos ipsos potius ad alios tamquam media ad fines referimus. Quare sympathia philantiæ neque tamquam satelles a latere posita, neque ei velut fonti rivulus subjecta videri potest.

§. 235. Homo tamquam individuum speciei, et tamquam membrum societatis humanæ necessario se et alios, quibuscum naturæ et societatis cum universalis tum specialis communionem habet, curat, i. e. suam aliorumque perfectionem adeoque felicitatem individualem, ejusque incrementa et causas cupit et consecratur, et a contrario abhorret. Animus humanus perfectionem et salutem suam, et aliorum, quarum altera sine altera universe esse nequit, simpliciter, cetera omnia vero velut ejus partes et causas expetit et consecratur.

§. 236. Quemadmodum ergo *perfectio* est communis omnium, quæ placeant et expetantur, ratio, ita *instinctus et studium perfectionis* est communis omnium animi humani nativarum affectionum et studiorum fons.

SECTIO ALTERA

De animi humani passionibus quas vocant, aliisque ejus vitiis maxime obviis.

§. 237. Cum animus in studiis suis nativum bonorum ordinem pervertit, atque uni bonorum generi studens cetera negligit, nascuntur animi quas vocant *passiones*, aliaque ejus vitia plurimorum malorum fontes; quare cognita animi propensionum et studiorum historia, i. e.

origine et genealogia, jam] ejus passionum natura et formæ præcipuæ declarandæ sunt.

I.

De passionum animi humani natura.

1.)

Passionum notio.

§. 238. Cum tanta est animi ad aliquod jucunditatis genus propensio, tanta ejus ab aliquo molestiæ genere aversio, tanta cupiditas alicujus boni, tantus alicujus mali horror neglectis aliis, ut ratio non modo eam continere nequeat, sed ei plane servire cogatur, is passioni obnoxius, adeoque non liber sed servus concupiscentiæ esse dicitur.

§. 239. *Passiones animi* sunt propensiones sensitivæ dominantes, i. e. appetitiones et aversationes sensitivæ præponderantes et habituales, quas is *dejecto aut corrupto rationis imperio* velut vincula, velut dominas, velut imbecillus potentem et imperiosum dominum sequitur.

2.)

Passionum ab affectibus animi discrimen.

§. 240. *Passiones* ex propensionum sensitivarum dominantium, *affectus* ex motuum animi sensitivorum et et perturbatorum numero sunt; *affectus* homines cæcos, inconsideratos, sui impotes, atque in judicando et agendo præcipites, *passiones* vero servos, atque in sui, i. e. passionum favorem ingeniosos, meditabundos et callide sedulos efficiunt.

§. 241. *Affectus* plerumque cito evanescent v. g. ira, *passiones* profundius se in animum insinuant v. g. odium, avaritia; *affectus* ebrietati similes, quæ somno auferuntur, *passiones* delirio æmulæ sunt, quod inveterascit et ingravescit.

3.)

Passionum laus et reprehensio.

§. 242. *Passionum* non modo *apologias*, sed plane *laudes* sæpe audire licet; *passionibus* deditos res magnas gessisse, rationem et scientiam *acus magnaticæ*, *passiones ventorum vice* in vita humana fungi, *magnifice* prædicant.

§. 243. At cum *passionibus* dediti et affectibus agitati, si etiam in rem bonam studio et impetu suo ferantur, unum faciant neglectis aliis, quæ pariter facere oportet, *enthusiastæ* propterea dicti, rem non modo *pragmaticè noxiam*, sed etiam *moraliter turpem* faciunt.

§. 244. Per se *passionibus* obnoxii nihil præclari gessissent, nisi aliorum opera accessisset, qui illorum consilia et molimina sine affectibus et *passionibus* subinde animo commoti promovissent.

II.

De *passionum* animi divisionibus et formis.

§. 245 Quandoquidem *passiones* aliæque vitia animi humani sunt ejus propensiones in bona quædam, neglectis aliis, adeoque opinata directæ et consuetudine confirmatæ, quæ bona vel jucunditatis, vel utilitatis, vel honoris specie illudunt, quandoquidem eæ præterea conditionem hominis vel conatam et animalem, vel socialem et cultam

afficiunt; intelligitur cur alii magis in illas passionum radices, alii magis in istas ipsarum sedes intenti passiones humanas diversa ratione distribuunt. Qua in re id maxime curandum est, ut omnis, quantum fieri potest, passionum et vitiorum animi familia exhibeatur, in qua re verborum inopia et inconstantia difficultates parit.

I.)

Passiones præcipue secundum suas radices spectatæ.

§. 246. Qui passionum radices spectant, omnes ad tres nimirum, afortiam, avaritiam et ambitionem revocant,

1.)

Afortia.

§. 247. *Afortia* nomen immoderatam rerum sensibus externis jucundarum cupiditatem, seu effræne voluptatum sensualium studium denotat. Quamvis voluptates oculorum, aurium, tactionum, odorationum et saporum sive a natura, sive ab arte humana suppeditatæ, sint breves et sine varietate saporis, quasi acumen perdant, et cum ætate transeant, quamvis animos sæpe efficiant molles; non tamen ideo sunt falsæ, aut omnes et necessario corrumpunt, anima iis indiget ad vires suas conservandas, augendas et tempestive ac majori cum alacritate adhibendas. Natura amplas suas et plane admirabiles offert copias hominibus, horumque sensus sic formavit, ut illis frui possit animus et cupiat; proinde eo eniti, ut res, quæ sensus externos suaviter afficiunt, omnes despicias, non est naturæ convenienter agere, sed ejus optime salutis hominum consulentis beneficia morose aspernari. Hæc,
qui

qui grata mente agnoscit, non in fuga perpetua omnium, quæ sensus suaviter movent, sed in voluptatibus nullo vero dolore emtis tempestive et moderate fruendis continentiam, nullum vero in illis austere et perpetuo fugiendis piaculum ponit.

Nocent voluptates, quibus corpus aut animi vires franguntur et enervantur, quæque causas pœnitendi multas relinquunt, verum nullas eorum recordandi, his aſotorum vita diffluit; porro ea voluptatum per se innocuarum cupiditas, multitudo et variatio exitiosa est, quæ laboris necessarii igniculos exstinguit, tempus negotiis dandum aufert, facitque, ut homo in malis effugiendis, et in bonis majoribus acquirendis, sibi vel aliis, vel omnino, vel tempore opportuno desit. Aſoti vel *gula*, seu voluptati bachicæ, cibi et potus exquisiti copiæ, vel *voluptati venereæ*, quæ libidinem seu intemperantiam stimuli sexualis denotat, vel *luxui*, *luxuriæ* studio, varietatem voluptatum sensualium quocunque pretio redimendi, vel denique *vacationi a labore et vitæ commoditatibus* indulgent, quæ vitia *maximam vim* habent ad corpus et animum voluptuosorum corrumpendum, et obliquæ societati varia ratione obsunt.

2.)

Avaritia.

§. 248. *Avaritia* universe in nimio habendi, seu inexplebili rerum utilium, seu divitiarum et pecuniæ cupiditate posita est. Res, quatenus considerantur tamquam ad multiplicem hominis usum habiles, recte bonorum nomine appellantur et numero habentur, licet iis ademptis aut non impetratis non semper animi tranquillitas, adeo-

que felicitas tollatur; dantur enim felicitatis partes caducæ et brevis temporis usura circumscriptæ, quarum accessione ea augetur et decessione minuitur. Bonorum aliis eget corpus, ut vivat et valeat, aliis animus ut erudiatur et perficiatur, et recreetur, et quæ societati profint, efficere queat; in vi, quam habent res a personis distinctæ ad hos fines, positum est bonorum seu commodorum pretium externum, multorum bonorum complexus *opes*, major opum copia *divitias* constituit. Cum fieri nequeat, ut quis omnia bona, quibus indiget ad vitam jucunde degendam, semper in promptu habeat, *inventæ res* est omnium bonorum, quæ in commercio esse possunt *vicaria*, quæ *pecunia* et *nummus* appellatur, si e metallo signato constat.

§. 249. Ex finium necessitate, ad quos consequendos bona illa apta sunt, æstimare licet, quousque homines illis indigeant, et ad quodnam quantumque desiderium et conamen eorum sive consequendorum, sive retinendorum, vel simpliciter omnes, vel cum adjunctione in certo statu aliquos tantum deceat. Est nimirum indigentia rerum *alia* simplex et absoluta, *alia* hypothetica et relativa; *indigentia absoluta* est eadem omnium, estque vel earum rerum, quarum inopia vel vitam vel valetudinem fecundam, vel vigorem corporis et animi destruit, aut certe diminuit. *Inopia voluntaria* malorum ferax evitanda, *inevitabilis* quæsitis, quæ supersunt vitæ solatiis et conditionis, æquo animo toleranda. Naturam esse paucis contentam, arctisque indigentiam absolutam terminis circumscribi, hominum tenuiorum vita simplex eademque honesta et jucunda demonstrat.

§. 250. Sed extenduntur in societatibus cultioribus termini indigentiae, atque multis opes et plane divitiæ

necessariæ fiunt; multa præterea sunt, quæ efficiunt, ut latius pateant hominum, quam naturæ desideria, ut nascantur *opinata indigentia*, quo maxime pertinet consuetudo multa habentes æmulandi, et rebus supervacuis potiundi. Ita efficitur, ut homines non ad rationem et necessitatem, sed ad similitudinem et consuetudinem vivant, atque divitiarum honore et vitæ sybariticæ aut certe commodæ illecebris capiantur; inde nascitur *nimia opum et pecuniæ appetentia*, quæ duplex *avaritiæ* genus progignit, alterum *splendida et luxuriosa*, propter quam Roma *predicente Jugurtha* interiit, alterum *sordida*, propter quam dives ex inani futuræ inopiæ metu congesto pauper vivit in auro.

§. 251. Quare a teneris instituendi et assuefaciendi sunt homines, ne opes et nummos quærant, nonnisi subsidiis, quorum eos necessario pœnitebit, parables, ut fruantur legitime partis, tamquam verorum vitæ commodorum instrumentis, simul ut ad eorum amissionem legitime haud vitabilem animum preparatum habeant, nec ex eorum possessione *præstantiam et felicitatem*, vel ex eorum inopia aut diminutione *vilitatem et miseriam* æstiment.

3.)

A m b i t i o.

§. 252. Naturalis est homini præstantiæ et honoris appetitio et vilitatis ac contemptus fuga. *Honor* positus est in iudicio aliorum, a nobis non modo abesse talia, quæ odium et despectum mereantur, sed nobis plane inesse aliquid, quod sit præstabile et æstimabile, nimirum vires singulares, et voluntatem eas recte et in aliorum utili-

li.

litatem adhibendi, five sint naturales, five acquisite; quæ quo sunt majores et cum virtute ac aliorum salute conjunctiores, eo magis venerabiles sunt, qui eas possident et adhibent. Quare in iis, quæ non fecimus ipsi, qualia sunt fortunæ munera, utur bonorum numero eximi nequeant, per se nihil *venerabile* inest, quo veri honoris *materia* absolvitur. Ex his patet, *honoris et opprobrii discrimen et gradus* non opinione fortuita et variabili, sed natura niti; crescit æstimatio pro virium vere æstima-bilium, difficultatis eas adipiscendi, tuendi et adhibendi, fructuum, qui ex earum usu nascuntur, atque modestiæ et humilitatis non fucatiæ magnitudine.

§. 253. Inde intelligitur, quid sit *honor verus*, quid *falsus*. Honor certe falsus est, cum vel est judicium de alterius præstantia morali, aut erroneum aut simulatum, vel meriti mensuram excedit, vel imbecillitati, vel plane flagitio habetur. *Ambitio* est studium perpetuum et flagrans efficiendi, ut honore et auctoritate potiari. *Stultitiam* appellamus cujus, quod nulla meriti specie nititur, insulitas oppido apparet, *malignam*, cum quibusvis artibus et plane malis subsidiis falsus honor ardentem quæritur et defenditur, *effrœnem* denique, cum honoris desiderium in primum et unicum legitime agendi momentum convertitur. Ex quo facile colligitur, ex ambitione infinita, mala generi humano nasci; *ambitiosi* superiores et pares oderunt, opes, potentiam et dominatum ceu media appetunt, dominandi cupidi, magis singularium opinionum quam veritatis amantes et defensores sunt. Superioribus et melioribus vel assentantur, vel insidiantur, vel obtrectant, inferiores auctoritate fucata, vel injusto metu continere student.

§. 254. Quare instituendi et assuefaciendi sunt *a* *reneris* homines, ut tranquilla mente studeant vero honori, ut judicent, præstare non honorari quam non esse honorabilem, neque aliam ad verum honorem patere viam, quam talem esse, qualis videri velis, adeoque reapse esse venerabilem, i. e. bonum et societati pro virili utilem. Honor adjectum est felicitatis non tota et solida felicitas, modestiam præclare agentis sponte sequitur, eum vero, a quo sitienter appetitur, fugit.

II.)

Passiones præcipuæ secundum suas sedes consideratæ.

§. 255. Qui passionum sedes, i. e. conditionem humanam, quam proxime afficiunt, considerant, eas vel ad statum naturalem vel sociale referunt.

I.)

Passiones status naturalis.

α.

Vindictæ cupiditas.

§. 256. Ad sui contra læsiones defensionem naturalis instinctus impellit homines, an etiam ad eorum ultionem? *defendit se*, qui læsionis instantis aut continuatæ vim, aut illatæ effectus vi repellit et tollit, *ulciscitur vero*, qui læsionis machinatori aut affectori, dum est depulsa, aut reparari non posse jam intelligitur, idcirco nocet, ut is, qui alios dolere fecit, etiam doloris tormenta persentiscat. Cujus rei *duplex consilium et modus esse potest vel istud*, ut injuriæ auctor malis tamquam pœnis tempestive et moderate irrogatis animum nocendi detestetur

tur

tur et deponat, *vel hoc tantum*, ut eum, cui nos dolere volupe fuit, pariter dolere videamus et gestiamus; *prius consilium* non nisi defensionem adversus mala futura, adeoque *naturale et justum esse* facile intelligitur, *posterius vero malevolentia* est proclivis et prompta ad ulciscendum, i. e. ad malum pro malo aut structo aut illato rependendum; differt ab ira, quæ non semper ulciscendi impetum adjunctum habet. *Ultio alia* est aperta et præsens, *alia* lenta et insidiosa; hæc uti est malitiæ plenior ita plerumque nocentior.

§. 257. Infantes naturali incitatione duci malum verum aut opinatum ab aliis illatum amovere ardentem conantur, sed depulso contenti odium ponunt; at ab hac defensione facile declinant ad cupiditatem par pari referendi, incitantur ad hoc nonnunquam *educatorum provocationibus*, plerumque *exemplis æqualium*, aut *pœnis ipsis*, quibus aut ipsi afficiuntur, aut alios plecti vident, quod nondum intelligunt, pœnis tempestive et sapienter irrogatis emendari, aut certe a malo audendo avocari et deterreri homines; quare regulam condunt: faciendum esse, ut qui alios dolere coegit, is vicissim doleat, quem sentiendi modum vulgus jus talionis vocat, et naturale esse perperam judicat. *Pulcher et fortis* ab omnibus censetur *animus*, qui leves injurias non curat, et cum ulcisci posset, *suo confidens jure et robore* ignoscit, *odiosus* contra, *formidabilis* et revera *imbecillus* est, qui læsus nunquam non ultionem meditatur. *Meditatio ultionis* est *plena acoris* animum perpetuo *fodicantis et exulcerantis*, præcipue frustratis ulciscendi consiliis et conatibus. *Explectio ultionis* gignit voluptatem, sed brevem et semper falsam propter metum *talionis*, qui efficit, ut eum, quem

quis

quis offendit, odisse incipiat. *Proprium est humanæ imbecillitatis et pravitatis, eum odisse quem læseris.*

§. 258. *Instituendi et affuefaciendi itaque a teneris sunt homines, ut a læsionibus et offensionibus abstineant, earumque effectus tollant; per eas enim mutua, et maxime occulta inimitia lædentium et læsorum, et cum his multa calamitates seruntur, dirumpiturque vinculum, quo homines ad se mutuo iuvandos nati contineantur; maxime vero ne errore pro læsione et offensione habeant ea, quæ ab aliis facta suisque finibus et votis adversa esse vident.*

β.

Effroenatum libertatis studium.

§. 259. *Studium libertatis, i. e. usus virium suarum voluntarii per alios haud impediti, natura cuique in-sevit; sentiunt ejus vim nativam infantes pariter ac adulti, culti pariter ac agrestes homines. Monitoribus asperos atque ad jussos labores segnes, constat alacriter imperata facere, simulac blande ratio explicata est, cur aliquid facere jubeantur vel vetentur, quasi nunc jam non aliis sed sibi pareant. Adulti dependentiæ et imperio assueti superbos et imperiosos superiores oderunt, eos vero, qui neminem magis, quam par est, dependentem faciunt diligunt. Nationes et singuli homines parce ac duriter, quam laute sed serviliter vivere maluerunt, et insignis quidem utilitas est stimuli naturalis, quo incitatur, ne magis quam ratio probat, et fines necessarii postulant, ab aliis in agendo pendeamus; erigit animos, ne sibi evilescant, omnemque suam dignitatem et felicitatem ab aliorum voluntate suspensam habeant; inflammat homines,*

ut

ut sapere audent, ut robore suo niti, quam vires ab aliena vi pendentes et precarias habere malint, alacres rerum utilium inventores, strenuos errorum perniciosorum oppugnatores, fortes oppressorum defensores efficit.

§. 260. Sed libertatis appetitum cum recti et felicitatis studio consentientem esse oportet, ut naturæ igniculus et philantiæ furculus videri possit. Ratio in effectus independentiæ et obsequii inquirens intelligit *libertatem absolutam* i. e. plenam ab omni imperio et coactu cum directo tum indirecto immunitatem non exigere, ut homo dignitatis et felicitatis humanæ particeps sit. Quis moratarum Europæ civitatum conditionem suam cum Carabis sine imperio et magistratu viventibus commutare velit, et quis dignitatis humanæ memor et tenax non egestatem affluentiam, servili assentatione et coeco obsequio emendæ non præferat? differt nimirum libertas, quam nemo nisi cum natura humana abiicere possit, non modo a *licentia* i. e. usu virium sibi aliisque noxio et molesto, verum etiam ab omnimoda ab aliis independentia.

§. 261. Qui nullas actiones ab alieno iudicio et arbitrio *velut lege* suspensas habere vellet, is profecto talis esse non posset, qui prope alios habitet aut commoretur, aut in quacunque societate speciali versetur; is enim, quæ aliis noceant et displiceant studiose evitare tenetur, ne alias aut *cogatur* aut *contemnatur*, aut certe iis *ridiculus videatur*, eorumque *opera auxiliatrice destituatur*, qua nemo carere potest, *nisi ferarum more solivagus* vivere velit; et qui, ne cum vulgo sapiant et pareant, nullius potestatis legitimo modo institutæ et acquisitæ vim pati volunt, verum trucem independentiam et cynicam decori negligentiam et dicacitatem, sapientem et liberum hominem decere dicunt, *servi sunt maxime obnoxii*. Liber est
qui

qui rationi paret; *obsequium sapiens libertas, et impatientia ejusmodi obsequii servitus est; non omne obsequium excludit illam libertatem positam in robore animi, a pigra et humili applicatione ad alios, a stolidi imitatione aliorum et a coeca fiducia erga alios sibi caventis, nec præsidium unicum in fragili aliorum fortuna et variabili favore ponentis, aut prosperitatem cum felicitate commiscens.*

2.)

Passiones status socialis.

α.

Gulositas et mensæ luxus.

§. 262. Ad vitam et valetudinem tuendam victu imprimis indigemus, sed in cibi potusque usu, tamquam sanitatis et vigoris medio, et vitæ socialis condimento, necessarius est modus et delectus. Natura quidem facilem dedit, simplicem, minimeque noxium cibum potumque, omnibus illis finibus idoneum; sed postquam ingeniosa et intemperans facta est voluptas illa, quæ in suavi corporis sensu et motu inest, et ad victum etiam ars accessit, qua non tolleretur fames et sedaretur fitis, sed exquisito sapore guttur titillaretur, ingens ciborum copia inventa est, invaluitque *mensæ luxus et gulositas*. Ne desint mollis et jucundæ vitæ studiosis ad fruendam gulæ titillationem cito transeuntem subsidia, *sceleratum habendi amorem et infinita alia mala nasci* conitat, quæ bonos mores et civitates perdunt; quare a teneris instituenti et assuefaciendi sunt homines ad frugalitatem i. e. ad modum rationabilem in victu, amictu et habitatione servandum. Non tamen omnis, quam homines in cibi ratione expetunt et adhibent, *suavitas reprehensione digna aut exitiosa* videri potest, siquidem

dem ea tamquam sanitatis et vigoris medium, atque socialis vitæ condimentum adhibeatur, caveaturque omnis injustitia, profusio et morum corruptio,

β.

Maligna dominandi cupiditas.

§. 263. In societatibus res satis usitata est *maligna et nimia dominandi cupiditas* i. e. alios maxime imbecillos et ignobiles deprimendi, eosque *sine jure aut certe ultra limites juris* per vim aut molestias compellendi, ut varia faciant aut patiantur. Nascitur hæc maligna dominationis aviditas a variis causis, *interdum* ab ambitione et avaritia, *plerumque* vero ab effrenato libertatis studio; qui enim quod cupiunt vehementer volunt, ægre ferunt alios sibi non obsequi, aut plane resistere, quare vires quærunt, ut alios sibi obsequi videant, aut certe neminem metuant, utque potentiam facilius acquirant aut adhibeant, omnem actum ei, quod fieri cupiunt, adversum *juris sui aut auctoritatis legitimæ diminutionem* esse queruntur. Ad dominationis aviditatem concipiendam *aliqua vis est* in ipso temperamento cholericis et melancholicis, *major* in consuetudine et educatione. Accendit consuetudo despiciendi imbecillos et humili conditione natos, qui parere coguntur, dominationis cupiditatem et proles tenera, cujus imperio tota domus regitur, adeo adsuescit fieri imperata sua, ut adultior summam sibi injuriam fieri putet, nisi per totam vitam dominetur; quare instituendi et assuefaciendi sunt *a teneris homines*, ut cuivis homini et membro societatis pretium suum nativum et acquisitum stant, caveantque *sua auctoritatis usu* efficere, ut alii in societate sorte sua contenti non sint.

CAPUT TERTIUM.

Philosophia historiæ animi humani.

Ordo et usus tractandorum.

§. 264. Quemadmodum corporum et ingeniorum, ita etiam animorum humanorum mira est diversitas. Philosophia historiæ animorum humanorum, quam alii characteristicam animorum dicunt, *primo* præcipua animorum discrimina seu formas, quas indolem animorum vocamus, observando eruit et recenset, *deinde* causas, cur tanta sit indolis animorum humanorum varietas, seu formarum animi humani in singulis hominibus et nationibus diversitas, investigat et reddit, *denique* rationem et viam *peculiarem animi singularium hominum indolem* scrutandi ostendit, quarum rerum cognitionem *gravissimis finibus consequendis* inservire, atque *ad plurimos homines pertinere* facile intelligitur.

SECTIO PRIMA.

Præcipua discrimina indolis animorum adeoque morum et characterum humanorum affert.

I.

Homines quoad animi indolem cum nativam tum adscititiam differunt.

§. 265. Quamquam omnes homines persentiscendi et appetendi facultate, adeoque propensionibus et instinctibus a natura præditi sunt, quarum rerum complexum animum seu pectus et cor hominis dicimus, tamen sæpe
val-

valde diversa est *tum nativa tum adventitia* illarum facultatum, adeoque propensionum et instinctuum atque studiorum in diversis hominibus *ratio seu qualitas*. Hanc peculiarem hominis cujusvis qualitatem ejus *animi indolem* appellamus; nimirum non in omnes homines eandem plane rerum voluptatem aut tedium, appetitionem aut aversionem cadere, per experientiam satis constat; quod partim a nativa, partim ab acquisita ipsorum animi indole dependet, inde vero maximam morum et characterum humanorum varietatem nasci facile intelligitur, quamquam hi voluntatis liberæ et causarum moralium effectus non semper nativæ sive præclaræ, sive vitiosæ animi indoli respondeant.

II.

Differt indoles animi hominis ab ejus moribus et caractere morali.

§. 266. Indoles hominis nativa (temperamentum seu temperatio animi cum temperamento corporis consentiens) est nativa facultatis persentiscendi et appetendi qualitas. Est quædam corporis in homine quocunque constitutio, quatenus animæ est organon, officina et statio, qua fit, ut anima ejus incola nec eandem, aut eodem plane modo et gradu perceptiones et sensationes habeat, atque adeo nec eadem aut eodem modo appetat et operetur; hæc corporis constitutio *ejus temperamentum* dicitur, cui adeoque necessario quædam nativa ingenii et animi indoles respondet. Cum constitutionis et indolis illius in multis hominibus quædam similitudo appareat, observatores et exploratores naturæ humanæ jam pridem plura corporis et animi temperamenta a se invicem, et a moribus ac caractere-

ractere morali distinxerunt. *Mores* sunt constantes liberae agendi modi spectari, tum quoad agendi consilia seu studia ac regulas voluntatis subjectivas, quas quis in agendo sequitur (*Handlungsmaximen*), tum quoad actus liberos, ex quorum iteratione (repetitione) existunt. Complexus studiorum voluntatis liberae i. e. ejus regularum subjectivarum, quas homo in agendo sequitur, constituit ejus *characterem moralem*, diversum ab illo *physico* in nativa ejus animi indole *posito*.

III.

Præcipua hominum, quoad animi indolem mores et characterem moralem discrimina indicantur.

§. 267. Propter nativam animi indolem, uti in parvulis cernere licet, *primum* alios lenes, mansuetos, tene-ros, faciles, obsequiosos, alios duros, pervivaces, intractabiles, vehementes, *deinde* alios vivaces, activos, jocosos, hilares, alios languidos, phlegmaticos, segnes, serios, austeros, *denique* alios intrepidus, audaces, erectos, excelsos, apertos, alios timidos, pusillanimos, occultos, dissimulantes, abjectos esse videmus; quæ nativæ animi dotes aut vitia per lactis, quo infantes nutriuntur, per climatis, alimentorum, educationis, imitationis, per vivendi, regiminis et religionis rationem vel efficiuntur vel confirmantur, atque *adventitiam*, quæ etiam mixta dici possit, *animi indolem* constituunt non semper *cum nativa* consentientem.

§. 268. Indoles animi, quoad quam homo quisque *naturæ* aut certe *alienum opus* videri debet, multum quidem valet ad voluntates hominum ad quædam magna, præ-

præclara, recta, aut minuta, ignobilia, prava flectendas, adeoque eorum libertatem minuit, sed nequaquam tollit, quæ per causas morales ad tantum efficaciam gradum evehi potest, ut illa nativa vel aduentitia vitia primum minuat, deinceps vero plane extirpet, præcipue si causæ, per quas vitiosam animi indolem effici et corroborari constat, debilitentur aut plane tollantur.

SECTIONE SECUNDA.

Præcipuas diversitatis animorum et characterum causas aperit.

I.

Causæ diversitatis indolis animorum humanorum.

I.)

De diversitate indolis animorum ex diversitate temperamentis.

§. 269. Animi indolem proxime corporis temperamentum sequi, res est ab antiquissimis naturæ humanæ observatoribus animadversa et defensa; at quænam sit illa corporis constitutio temperamentis nomini veniens, a qua proxime pendeat ingenii et animi indoles nativa i. e. quæ efficiat, ut vis percipiendi et persentiscendi certo modo se exserere debeat, cum quo appetendi et operandi modus consentiat, incertum et plane controversum est.

§. 270. Hippocrates quatuor humores nimirum sanguinem, pituitam, bilem flavam et atram, Galenus quadruplicem sanguinis qualitatem nimirum ejus calidiorem

vel

vel frigidiorē, leviorē vel graviorē indolē pro illa causa habuit. Sed cum modus, quo percipiendi et percipiendi facultates se exerunt, proxime non ab illorum humorum, aut illarum sanguinis qualitatum præpōndio, sed a nervorum et fluidi nervei, tamquam proximi et proprii mentis et animi organi ratione dependeat, in his etiam proximam nativæ ingeniorum et animorum humanorum indolis et diversitatis causas reponendas esse, dubium videri nequit.

§. 271. Systematis nervei, tamquam organi et mediæ facultatum percipiendi et percipiendi, *duæ* videntur esse *proprietates*, quarum proportione temperamenti corporis et indolis animi ratio modusque absolvatur, nimirum ejus *sensilitas* et *robur*. Recte nimirum conicimus, illorum, qui utraque, vel neutra, vel alterutra tantum illa *animæ organi* prærogativa valent et excellunt, diversas esse mentis et animi habilitates sive ad virtutes, sive ad vitia assumenda. Sed ejusmodi habilitates assumptionem alterutrius nec necessariam nec impossibilem sed tantum faciliorem vel difficiliorem reddunt.

II.)

De diversitate indolis animorum a climatis vi.

§. 272. Non exiguam esse potentiam climatis, uti in plantas et feras, ita etiam ad impertiendam ingenio et animo suorum incolarum certam formam et indolē, res est jam antiquis satis comperta. Climatis vero nomine *non tantum* regionum situs varius ad solem, ad maria, montes, silvas, *sed maxime* earum editioris vel depressioris, fertilis vel sterilis, amœni vel horridi soli, quod incolimus, colimus, cujusque productis fruimur natura, atque magis vel minus puri vel impuri, calidi vel frigidi,

ficcī vel humidī aut plane madidī aëris, quem spiramus, temperies pertinent.

§. 273. Earum, quas climatis nomine complectimur, causarum vis maxime in eo cernitur, quod systematis nervei fibras varia ratione temperet, atque ita mentis et animi indolem propter animæ et corporis in homine concentum efficiat. Inde est cur hodierni Syriæ et Egypti incolæ, atque Mainotti a Spartanis genus ducentes veteribus harum regionum incolis satis similes, quoad animi indolem, reperiantur. In locis editioribus et minus fertilibus qui vivunt, alacres, prompti, robusti, strenui sunt; qui planities frugiferas et mari vicinas incolunt, animi affectiones ad mercaturam, navigationes artesque his infervientes produunt. Soli humidī et palustris ac nebulosi incolæ pituita abundant, atque inertes, hebetiores et voluptuosiores sunt; qui vero cælo fruuntur sereno, atque aërem spirant purum et tenuem, quamvis sensibus teneris et acutis præditi, tamen nec voluptatum nimio ardore, nec cupiditatum vehementia agitantur.

§. 274. A climatis vero potentia, quæ partim per naturæ ipsius revolutiones, partim per incolarum industriam vel inertiam subinde valde mutata est, tantum habilitates ingeniorum et animorum ad certas virtutes vel vitia, non ipsæ virtutes et vitia dependent; quare ejus vis per causas morales, scilicet per educationem, regiminis formam, religionis rationes non quidem penitus elidi, at certe valde debilitari potest.

III.)

De diversitate indolis animi ab ingenii diversitate.

§. 275. Animi indolem in singulis hominibus atque nationibus etiam cum ingenii qualitate et cultu con-

gnere, experientia et historia satis contestantur. Si enim vires cognoscitivas in hominibus maxime illas, quæ sunt voluptatum fontes, *differre*, adeoque alios aliis sentiendi, imaginandi et intelligendi facultatibus *præstare* videas; si præterea in iis cognitionum acquiratarum quantitatem et qualitatem maxime illarum, quibus *rerum et personarum præzia* definiuntur, quæ adeoque *ad res expetendas et æstimandas* pertinent, consideres; ut adeoque *alios* ingenio imbecillo et rudi, *alios* mediocri et leviter ac vulgariter culto, *alios* denique præstanti, et studiis ac litteris variis expolito et instructo præditos reperias, in his omnibus etiam propterea varia ratione, variisque indiciis *jam vitiosam jam præclaram animi indolem* se prodere deprehendes.

II.

Causæ diversitatis characterum humanorum.

I.)

De diversitate characterum moralium a diversitate educationis.

§. 276. Ab educatione imprimis pendere, *quas* homines *vivendi regulas* sibi consciscant, atque deinceps sequantur, ex rei natura satis elucescit, atque per experientiam confirmatur. Inde est, cur excultior antiquitas curas suas præcipue in educationem *juventutis*, *illius rei-publicæ seminarii*, direxerit, historiaque contestetur *florantibus* bonæ educationis *institutiis* veteres civitates floruisse, neglectis vero corruptas et collapsas esse. A matura itaque et bona, vel neglecta et prava educatione potissimum pendet *ille* characterum bonorum vel pravorum inter ho-

mines *proveniens*; cum enim natura tenacissimi sint homines eorum, quæ rudibus adhuc annis perceperunt, facile intelligitur plurimum interesse, quibus ideis, principiis et habitibus in pueritia et juventute per institutionem, exempla et exercitationes imbuantur. Imbuendi sunt homines in juventute *scientia, amore et habitu* earum rerum, quæ ad *moralem, socialem et pragmaticam* hominum præstantiam pertinent, arcendique a juventutis institutione et educatione, *qui sunt illa triplici præstantia destituti*, aut plane *de ea* prave sentiunt.

II.)

De diversitate characterum a diversitate regiminis civilis et opinionum religiosarum.

§. 277. In diversis imperii et regiminis civilis formis ubique luculenta ingeniorum et animorum indolis, atque morum et characterum moralium discrimina in diversis civitatum ejusmodi membris et ordinibus occurrere, res est historiæ fide certissima. A civitatis itaque regendæ ratione etiam plurimum pendet, qui sint civium mores, qui moralis eorum character; nimirum potestatis legislativiæ, judiciariæ et administratiæ ac executiviæ, variorumque triplicis hujus potestatis munerum et partium is esse potest usus, ut cives recte vel prave sentiant de destinatione, pretio, juribus, officiis et salute variorum societatis civilis ordinum et membrorum.

§. 278. Maxima vero vis est ejus, cui cives addicti sunt, religionis ad eorum rectam vel pravam sentiendi et agendi rationem; quos conceptus de Deo ejusque voluntate, atque de dignitatis et felicitatis humanæ partibus et causis foveant, quo cultu Deum prosequantur, quem

pec-

peccata expiandi et Deo placendi modum ineant, qua ratione de statu vitæ futuræ, ejusque præmiis et pœnis sentiant; hæc omnia ad rectam vel pravam eorum sentiendi et agendi rationem vim habere haud exiguam, nemini harum rerum satis gnaro dubium videri potest.

III.)

De diversitate characteris moralis a diversa nascendi sorte et fortunæ conditione.

§. 279. Denique nascendi fors et fortunæ conditio, hujusque mutatio in iis, quibus obtigit, permultum confert ad certam animi indolem fundandam, et ad certum voluntatis characterem assumendum aut mutandum. Nam etsi, quæ ad statum nostrum externum pertinent, per se neque præstantiam et felicitatem, neque pravitatem et infelicitatem humanam constituent, in iis tamen rebus varia vis inest, *in aliis ad virtutem, in aliis ad vitia*; ac *paupertas* quidem et *durior ac depressior vitæ conditio*, quamquam varia ratione sæpe depravet imbecillorum et rudium animos, si tamen illorum pectus est generoso incoctum honesto, etiam roborat ad patientiam, obfirmat ad inopiam ferendam, impellitque, ut per scientiam et virtutem emergere conentur. *Divites vero, honoratos et fortunatos* tot tantaque malorum irritamenta circumdant, ut sæpe etiam fortiores, præcipue si illa prosperitate fruentium pestis, *assentatio accedat*, ad perniciem, i. e. luxuriam, superbiam, avaritiam aliaque vitia deducantur; sed propter rerum humanarum inconstantiam *emergunt aliquando*, qui sunt cum adversa sorte conflictati, et *dejiciuntur sæpe* illi, qui sunt secunda gavisi. Hæc res est accuratissima characteris moralis trutina; honestis animis quidquid accidat usui, abjectis et sordidis vero damno esse, reperimus.

S E C T I O T E R T I A

Modum animi indolem et characterem cognoscendi monstrat.

I.

Necessitas et difficultas scrutinii animorum et characterum humanorum.

§. 280. Ex iis, quæ de causis diversitatis animi indolis et characteris moralis dicta sunt, intelligi et explicari potest, quibus proprietatibus et causis differant animi indoles et voluntatis character, *primo* in fœmina et mare, *deinde* in puero, juvene, viro et sene, *denique* in meridionalium et septentrionalium regionis incolis &c. Indoles vero animi et voluntatis character *variis se signis prodit*, atque adeo *ex his cognosci et conjectari* potest; cognitio animi indolis ut voluntatis characteris *gravissimis finibus consequendis* infervit, adeoque necessaria est.

§. 281. Nimirum bonam malamve animi indolem, atque rectum perversumve voluntatis characterem aliorum nosse necesse est; tum, ut *ingloria atque noxia* cum aliis *confortia* fugiamus, tum ut eorum, quorum cura nobis incumbit, *præclara* animi et voluntatis *initia et studia* adjuvemus, *contraria* vero emendemus et corrigamus. *Animorum* vero indolis atque voluntatis characterum *scrutinium* admodum *difficile*, adeoque caute et provide instituendum esse, facile illucescit. Profecto in hac re facile nobis veri species illudit, *tum* propter rei ipsius adjuncta et reconditam naturam, *tum* maxime prop-

propterea, quod homines præclaram animi indolem et voluntatem facile simulent, perversam vero dissimulent.

II.

Media eruendi occultum voluntatis characterem,

§. 282. Non tamen propterea moralis hominum character res adeo occulta et ambigua est, ut nullo modo erui et cognosci possit, siquidem media et viæ scrutandorum characterum præsto sunt, quæ nisi ad certam, tamen ad probabilem ejus cognitionem perducere queant. Quidquid vero signum ejusmodi sit, seu medium cognoscendi aut conjectandi characterem moralem aliorum, id cum ipso vel tamquam effectus, vel tamquam causa conjunctum esse debet. Cum vero certius effectus suam causam, quam causa suum effectum arguat, intelligitur cur signa ejusmodi non omnia eandem vim habeant in hoc scrutinio, adeoque primaria a secundariis distinguenda sint; prioris generis signa sunt *proprie cujusvis minimeque fucatus agendi modus*, atque id, quod sua cujusque *plurimum interest*, posterioris vero sunt, physiognomia et historia geneleos characteris in singulis hominibus.

I.)

Signa primaria characteris moralis.

§ 283. Ultroneus et sincerus cujusvis agendi et se gerendi modus est *directus et invariatus* ejus, quæ cujusque hominis propria et rectorix est, cogitandi et volendi rationis *effectus*, quare hanc disertissime indicat, ejusque quasi clavis videri debet; diligenti itaque observatione et comparatione id in ejus sermonibus et actionibus ex-
qui-

quirendum est, quod latentia ejus consilia et studia aperiat et prodatur.

§. 284. Sed raro singula dicta et facta hominis characterem et consilia ejus aperiant; incidunt sæpe circumstantiæ, ubi non tam bene aut male, imo melius aut pejus loquuntur et agunt homines, quam ipsorum characteri morali consentaneum et proprium est; imo simulando et dissimulando homines sæpe faciunt, ut alia mente, aliaque voluntate esse videantur, quam reapse sunt; quare ipsorum sermones et actiones tum maxime acriter observandæ sunt, ubi nihil adest, quod eos mentem animumque occultare cogat, aut prodere impediatur, cum adeo simulatio et dissimulatio nec possibilis est, nec necessaria videri potest, uti accidit rebus repente supervenientibus, et in vita privata.

§. 285. Uti vero mens voluntasque, quæ proprias cujusvis hominis agendi regulas et studia complectitur, ejusque characterem moralem absolvit, effectrix est ejus, quod homo ordinarie agit, adeoque illas sui effectrices aperit et prodit; ita id, quod sua cujusvis hominis vel gentis speciatim interest, est fons eorum, quæ is assumit et sequitur in decernendo, eligendo et operando principiorum et regularum subjectivarum, adeoque ejus characteris moralis. Inde est, cur homines, qui nulli vitæ generi adhuc addicti sunt, adeoque nihil adhuc habent, quod ipsorum speciatim interesset, nullum stabilem voluntatis characterem præferant, et cur mutato vitæ genere etiam ipsorum *interesse*, atque adeo character moralis mutetur; at circumstantiæ insolitæ agendi modum sæpe adulterant i. e., a characterem morali et a suo interesse alienum extorquent.


II.)

Signa secundaria characteris moralis.

§ 286. Cum tam arcto inter se cohæreant vinculo utraque hominis pars, nimirum anima et corpus, ut inter utriusque indolem perdurabilem et conditionem variabilem admirabilis sit consensio; nonne credibile est, ex oris vultusque lineamentis et colore, ex oculorum obtutu, totiusque capitis ejusque partium conformatione, præterea ex vocis et pronunciationis modo, ex gestu, incessu totiusque corporis statura; adeoque ex musculorum in corporis superficiem, non vero ex nervorum in internam cranii parietem actione et effectibus, adeoque ex physiognomia non ex cranioscopia de ingenii et animi indole, dotibus, actibus, statibus et habitibus conjecturam fieri posse; atque sæpe naturaliter fieri, et naturæ ductu, non consuetudinis et præjudiciorum vi, ut in rebus gravibus os vultusque intuentes aliis confidere, aliis diffidere necessitemur. In quo etiam experientiam consentientem habemus, præcipue si nationum et ordinum in vita civili physiognomias, atque memorabilium hominum effigies consulamus. Quamquam autem accidit interdum, ut animi et characteres hominum conformationi oris non respondeant satis; non tamen propterea negari potest, naturalem animi indolem talem fuisse, qualem vultus prodit, cum opera et studio propensiones naturales ita infringi et deiici, vitiaque ingenii et animi emendari possint, ut eorum nullum vestigium relinquatur. Quam in rem insigne est Socratis exemplum, de quo est apud Ciceronem de Fato c. 5, Disp. Tusc. IV. 37. *Quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis*

lis vultu, fronte pervoscere? stupidum esse Socratem dixit et bardum &c. addidit etiam mulierosum: in quo Alcibiades cachinum dicitur sustulisse, ab ipso autem Socrate sublevatus est, cum illa sibi vitia ingenita, sed ratione dejecta diceret.

§. 287. Habet præterea indoles animi et voluntatis character causas suas efficientes et occasionales, quarum vi oritur et adolescit; nimirum animi indoles per temperamenti, climatis et ingenii nativi rationem effingitur, character moralis vero, qui sæpe melior vel deterior est nativa animi indole, præcipue educationis, institutionis conversationis, lectionis et fortunæ secundæ vel contrariæ foetus est; quare ex cognitione harum causarum, quæ animi indolem et characterem moralem in singulari homine efformarunt, aliqua ratione utrumque conjectare licet, quæ conjectura vero maximis obseptata est difficultatibus, cum de vi absoluta et relativa harum causarum in casibus singularibus nihil constet, et altera alteram sæpe elidat.



E r r a t a.

Pag.	lin.	penult.	loco	quos	lege	quas.	
—	59	—	22	—	judicamus	—	judicemus.
—	68	—	3	—	eorum	—	earum.
—	70	—	8	—	plurimum	—	plurium.
—	73	—	18	—	negari	—	negare.
—	74	—	19	—	repugnari	—	repugnare.
—	80	—	1	—	ignaræ	—	ignavæ.
—	81	—	6	—	informatos	—	informatas.
—	82	—	10	—	notionibus	—	notioribus.
—	—	—	11	—	habendæ	—	habenda.
—	86	—	2	—	linguæ	—	lingua.
—	—	—	8	—	quovis	—	quævis.
—	101	—	14	—	informatos	—	informatas.
—	131	—	8	—	qua	—	quas.
—	135	—	9	—	ob	—	ab.
—	145	—	3	—	aufferuntur	—	auffertur.
—	147	—	8	—	eorum	—	earum.
—	—	—	21	—	obliquas	—	oblique.
—	148	—	17	deleatur		<i>ad.</i>	
—	152	—	penult.	loco	expletio	leg.	expletio.
—	160	—	18	—	nomini	—	nomine.

Latin	French	Number	Latin	French	Number
quatuordecim	quatorze	14	quatuordecim	quatorze	14
quindecim	quinze	15	quindecim	quinze	15
sexdecim	seize	16	sexdecim	seize	16
septemdecim	dix-sept	17	septemdecim	dix-sept	17
octodecim	dix-huit	18	octodecim	dix-huit	18
nondecim	dix-neuf	19	nondecim	dix-neuf	19
viginti	vingt	20	viginti	vingt	20
viginti et unum	vingt et un	21	viginti et unum	vingt et un	21
viginti et duo	vingt et deux	22	viginti et duo	vingt et deux	22
viginti et tres	vingt et trois	23	viginti et tres	vingt et trois	23
viginti et quatuor	vingt et quatre	24	viginti et quatuor	vingt et quatre	24
viginti et quinque	vingt et cinq	25	viginti et quinque	vingt et cinq	25
viginti et sex	vingt et six	26	viginti et sex	vingt et six	26
viginti et septem	vingt et sept	27	viginti et septem	vingt et sept	27
viginti et octo	vingt et huit	28	viginti et octo	vingt et huit	28
viginti et novem	vingt et neuf	29	viginti et novem	vingt et neuf	29
triginta	traint	30	triginta	traint	30
triginta et unum	traint et un	31	triginta et unum	traint et un	31
triginta et duo	traint et deux	32	triginta et duo	traint et deux	32
triginta et tres	traint et trois	33	triginta et tres	traint et trois	33
triginta et quatuor	traint et quatre	34	triginta et quatuor	traint et quatre	34
triginta et quinque	traint et cinq	35	triginta et quinque	traint et cinq	35
triginta et sex	traint et six	36	triginta et sex	traint et six	36
triginta et septem	traint et sept	37	triginta et septem	traint et sept	37
triginta et octo	traint et huit	38	triginta et octo	traint et huit	38
triginta et novem	traint et neuf	39	triginta et novem	traint et neuf	39
quadraginta	quarante	40	quadraginta	quarante	40
quadraginta et unum	quarante et un	41	quadraginta et unum	quarante et un	41
quadraginta et duo	quarante et deux	42	quadraginta et duo	quarante et deux	42
quadraginta et tres	quarante et trois	43	quadraginta et tres	quarante et trois	43
quadraginta et quatuor	quarante et quatre	44	quadraginta et quatuor	quarante et quatre	44
quadraginta et quinque	quarante et cinq	45	quadraginta et quinque	quarante et cinq	45
quadraginta et sex	quarante et six	46	quadraginta et sex	quarante et six	46
quadraginta et septem	quarante et sept	47	quadraginta et septem	quarante et sept	47
quadraginta et octo	quarante et huit	48	quadraginta et octo	quarante et huit	48
quadraginta et novem	quarante et neuf	49	quadraginta et novem	quarante et neuf	49
quingenta	cent cinquante	50	quingenta	cent cinquante	50
quingenta et unum	cent cinquante et un	51	quingenta et unum	cent cinquante et un	51
quingenta et duo	cent cinquante et deux	52	quingenta et duo	cent cinquante et deux	52
quingenta et tres	cent cinquante et trois	53	quingenta et tres	cent cinquante et trois	53
quingenta et quatuor	cent cinquante et quatre	54	quingenta et quatuor	cent cinquante et quatre	54
quingenta et quinque	cent cinquante et cinq	55	quingenta et quinque	cent cinquante et cinq	55
quingenta et sex	cent cinquante et six	56	quingenta et sex	cent cinquante et six	56
quingenta et septem	cent cinquante et sept	57	quingenta et septem	cent cinquante et sept	57
quingenta et octo	cent cinquante et huit	58	quingenta et octo	cent cinquante et huit	58
quingenta et novem	cent cinquante et neuf	59	quingenta et novem	cent cinquante et neuf	59
sexcenta	cent soixante	60	sexcenta	cent soixante	60
sexcenta et unum	cent soixante et un	61	sexcenta et unum	cent soixante et un	61
sexcenta et duo	cent soixante et deux	62	sexcenta et duo	cent soixante et deux	62
sexcenta et tres	cent soixante et trois	63	sexcenta et tres	cent soixante et trois	63
sexcenta et quatuor	cent soixante et quatre	64	sexcenta et quatuor	cent soixante et quatre	64
sexcenta et quinque	cent soixante et cinq	65	sexcenta et quinque	cent soixante et cinq	65
sexcenta et sex	cent soixante et six	66	sexcenta et sex	cent soixante et six	66
sexcenta et septem	cent soixante et sept	67	sexcenta et septem	cent soixante et sept	67
sexcenta et octo	cent soixante et huit	68	sexcenta et octo	cent soixante et huit	68
sexcenta et novem	cent soixante et neuf	69	sexcenta et novem	cent soixante et neuf	69
septingenta	cent soixante-dix	70	septingenta	cent soixante-dix	70
septingenta et unum	cent soixante-dix et un	71	septingenta et unum	cent soixante-dix et un	71
septingenta et duo	cent soixante-dix et deux	72	septingenta et duo	cent soixante-dix et deux	72
septingenta et tres	cent soixante-dix et trois	73	septingenta et tres	cent soixante-dix et trois	73
septingenta et quatuor	cent soixante-dix et quatre	74	septingenta et quatuor	cent soixante-dix et quatre	74
septingenta et quinque	cent soixante-dix et cinq	75	septingenta et quinque	cent soixante-dix et cinq	75
septingenta et sex	cent soixante-dix et six	76	septingenta et sex	cent soixante-dix et six	76
septingenta et septem	cent soixante-dix et sept	77	septingenta et septem	cent soixante-dix et sept	77
septingenta et octo	cent soixante-dix et huit	78	septingenta et octo	cent soixante-dix et huit	78
septingenta et novem	cent soixante-dix et neuf	79	septingenta et novem	cent soixante-dix et neuf	79
octingenta	cent quatre-vingts	80	octingenta	cent quatre-vingts	80
octingenta et unum	cent quatre-vingts et un	81	octingenta et unum	cent quatre-vingts et un	81
octingenta et duo	cent quatre-vingts et deux	82	octingenta et duo	cent quatre-vingts et deux	82
octingenta et tres	cent quatre-vingts et trois	83	octingenta et tres	cent quatre-vingts et trois	83
octingenta et quatuor	cent quatre-vingts et quatre	84	octingenta et quatuor	cent quatre-vingts et quatre	84
octingenta et quinque	cent quatre-vingts et cinq	85	octingenta et quinque	cent quatre-vingts et cinq	85
octingenta et sex	cent quatre-vingts et six	86	octingenta et sex	cent quatre-vingts et six	86
octingenta et septem	cent quatre-vingts et sept	87	octingenta et septem	cent quatre-vingts et sept	87
octingenta et octo	cent quatre-vingts et huit	88	octingenta et octo	cent quatre-vingts et huit	88
octingenta et novem	cent quatre-vingts et neuf	89	octingenta et novem	cent quatre-vingts et neuf	89
noningenta	cent quatre-vingt-dix	90	noningenta	cent quatre-vingt-dix	90
noningenta et unum	cent quatre-vingt-dix et un	91	noningenta et unum	cent quatre-vingt-dix et un	91
noningenta et duo	cent quatre-vingt-dix et deux	92	noningenta et duo	cent quatre-vingt-dix et deux	92
noningenta et tres	cent quatre-vingt-dix et trois	93	noningenta et tres	cent quatre-vingt-dix et trois	93
noningenta et quatuor	cent quatre-vingt-dix et quatre	94	noningenta et quatuor	cent quatre-vingt-dix et quatre	94
noningenta et quinque	cent quatre-vingt-dix et cinq	95	noningenta et quinque	cent quatre-vingt-dix et cinq	95
noningenta et sex	cent quatre-vingt-dix et six	96	noningenta et sex	cent quatre-vingt-dix et six	96
noningenta et septem	cent quatre-vingt-dix et sept	97	noningenta et septem	cent quatre-vingt-dix et sept	97
noningenta et octo	cent quatre-vingt-dix et huit	98	noningenta et octo	cent quatre-vingt-dix et huit	98
noningenta et novem	cent quatre-vingt-dix et neuf	99	noningenta et novem	cent quatre-vingt-dix et neuf	99
centum	cent	100	centum	cent	100

Table of numbers in Latin and French

